



# SOPHONIÆ

PAMINGERI PATA-

VINI POEMATVM LIBRI DVO.

*Primus Elegiarum & Epigrammatum, ad Pru-*

*dentissimum Senatvm Tekhendorffensent. Secun-*

*dus Funerum & Lyricorum versuum, ad Clarissi-*

*mos Viros D. Ortholphum Fuxpergerum, Rei-*

*publ: Pataviensis Syndicum. Et M. Io-*

*annem Kappensill, Archi-*

*grammaticum.*



HIS ACCESSIT LI-

BER POEMATVM BALTHA-

seris Pamingeri, ad Reuerendum

Dominum Augustinum Mu-

nich Ranshouianum An-

tistitem.

Norimbergæ, In Officina Typogra-

phica Valentini

Neuberi.

M. D. LVII.

# NVNCVPATORIA

EPISTOLA.

PRVDENTISSIMO SENATUI  
Tekhendorffensi, Dominis suis  
colendis, Sophonias Paminger  
Patauinus, Scholæ eiusdem  
Rector,

S. P. D.



SOLENT PLERIQUE VE  
scripto posteritati innotescere, cu  
pientes quosdam sibi eligere Me  
canates & Patronos, suasq; eis  
dem aut gratitudinis, aut captan  
de benevolentie ergò Lucubrationes dedicare,  
Quorum authoritate ac Patrociniò freti, multò  
alacrius, & maiori confidentia in publicum pro  
grediuntur. Huius igitur receptæ consuetudinis  
exemplo, & comprobatione adductus Viri Pru  
dentissimi, cum quod Minerua mea (quanq; crassa  
& sterilis) mihi enixa est, toties à quibusdam ami  
corum meorum, qui frigidam suffundere non cesa  
sant, rogatus, in lucem edere statuissem: Idipsum  
mihi quoq; nouo quasi hospiti in Archilochi pa  
triam, Regionemq; Zoilorum calumnijs, & plus-

A ij quam



## NVNCPATORIA

quàm Theritica in carpendis aliorum scriptis libidine plenam profecturo, faciendum imprimis esse censebam: Nam quanto odio labore uocabulum Noui, nemo nescit: Et quemadmodum Canes non nisi ignotos allatrant, secundū Heraclitum, flammamq; (ut Plutarchi uerbis utar) primū emittentem multus comitatur fumus, qui, iam inualefcente & explicante se flamma, euanescit: Sic inuidia iam primū in publicum progredientes infestat, premit ac penitus opprimere conatur. Cū igitur de Patrono eligendo cogitarem, subiit mihi quàm iniquum pariter, ac ridiculum foret, si eorū Patrocinio, quibus me totum cum omnibus meis superioris anno credidi, hunc ingeniosi mei foetum credere dubitarem. Ideoq; ad uestras Prud. Patronos & Mecēnates confugio, uobisq; hoc quicquid est munusculi dedico, obnixè rogans, ut equi boniq; consulatis. Scripsi hæc in medio occupationum Scholasticarum Labyrintho, posthabitis nequaquam interea ijs, quæ aut officium, aut studiosæ Iuuentutis commodum & utilitas requirere uidebatur. Propterea si res Musis parū propitijs, & minus ex sententia cęsit, non nisi Sisiphij illis, Scholasticisq; imputabitur laboribus. Qui quantum difficultatis & molestiarum habeant, norunt illi

## EPISTOLA.

illi tantum, qui in hoc Pistrino aliquandiu desudauerant, quicq; non sine iactura & debilitatione uirium totius corporis experti sunt, quàm ineptè & imprudenter loquantur, sentiantq; illi, qui hos nosstres labores, nō labores, sed ocium, & quasi quandam Rem Ludicram esse garrunt. Tantis enim molestijs curisq; hæc nostra referta est prouincia, ut:

Non mihi si centum linguæ sint, oraq; centum,  
Omnia curarum percurrere nomina possem.

Quemadmodum autem non dubito. P. V. nihil pendere eiusmodi Blateronum & Nugatorū Nugas. Sic etiam Polyragmonas illos omnibus se negotijs ingerentes, & ad res tantas administrandas non minus Idoneos quàm Asinus, ut dicitur ad Lyrām (Si Scholæ uestre, dulcissimisq; pignori-bus bene consultum esse uolueritis) alienis missis, sua ut curent monebitis: Nam quamuis in administratione rerum politicarum se & foeliciter uersari, & uehementer sibi sapere uideantur, Certè tamen tantum non sapiunt, ut Aliud esse Sceptrum aliud plectrum sciant. Apud Plinium legitur, Apellem illum pictorum omnium Principem, Alexandro Magno in officina multa imperitè de picturis disserenti, comiter silentium suasisse, atq; ita admo-

## NUNCUPATORIA

nuisse, illum à pueris qui colores terebant ob imperitiam rideri. Ita hodie etiam multi reperiuntur, scioli, qui quamvis bene institutam scholam nunquam uiderint, nihilominus tamen eos qui in studijs & scholarum gubernatione multos annos non infeliciter uersati sunt reprehendere, atque adeo quendam quasi regendarum scholarum modum illis præscribere præsumunt. His non minus quam Alexandro illi, Apelle quodam monitore, ne uidelicet à pueris mediocriter eruditil riderentur, opus esset. Pius, sibiq; bene conscius Gymnastarcha ultrò omnem mouebit lapidem, ut quàm rebusimè ingenijs eorum qui suæ commissi sunt fidei consulat, Spartamq; suam summa ornabit industria, nec pacietur sibi (nisi à doctioribus se) scholæ regendæ modum præscribi. Sed ne mihi quod Epigemi illi Sicyonio obiiciatur, missa tandem ista faciam, quæ ad nostrum institutum parùm faciunt, parumq; uidentur esse momenti. Exhibui enim. V. P. superiori anno status scholæ nostræ descriptionem copiosam satis, illa ut uno quasi ore à V. P. approbata est, ita, repudiatis scolorum opinionibus ineptis, uestra illam conseruabitis promouebitisq; autoritate, quæ nisi meis conatibus accesserit, Oleum & operam omnem penitus lusero.

Redeo

## EPISTOLÆ

Redeo ad Versus meos, qui quanquam contra Zoilorum calumnias defensionem requirant, tamen quia non ostentationis, aut ambitionis, imò nec laæ erigratia, sed penè ab Amicis coactus (quorum efflagitationibus perpetuò refragari paruum ciuile uidebatur) edidi, non multis opus esse sperabam. Præcipuè cum D. Ioachimo Hellero, alijsq; uiris, haud uulgariter doctis legendos exhibuerim, qui meum in publicando non tantum non improbârunt consilium, uerum etiam ad edendum suame humanitate multò reddiderunt & alacriorem & audaciorum. Quorum candorem & in iudicando auctoritatem pluris facio, quam Zoilorum, Vitilitatorum, Mimorum, Nasutorum & Sycophantarum omnium (quibus ne Aristarchus quidem ipse satisfacere posset) calumnias, & in obrectando libidinem. Candidus Lector candide interpretabitur omnia, suaq; humanitate & candore meum ad sublimiora aggredienda excitabit animum. Phormio niger, suo more, denigrabit omnia: ἄνθρωπος ἐστὶν οὐκ ἀφώτιστος ἀνθρώπων & φαρμακός. Postremò Viri Prudentissimi, me meaq; omnia uobis quo possum commendando studio. Deus & Pater Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi V. P. cum nobis omnibus diu incolumes conseruet ac tueatur, nostraq; stus

A iij die

N V N C V P. E P I S T O L A.

dia et labores ad sui sacrosancti nominis gloriam,  
Reipub. utilitatem, animæq; nostræ salutem per  
spiritum sanctum suum clementer regere digne-  
tur. Qui sit benedictus in æterna secula, Amen.

Ex Schola uestra, Mense Augusto. Anno recupe-  
rate salutis, Millesimo, Quingentesi-  
mo, Quinquagesimo  
septimo.

I N Z O I L V M.

**S**I contra nostros Versus in cote malignos,  
Exacuis dentes Zoile: Littus aras.  
Si queris laudem grandem, pete grandia scriptat  
Versibus in nostris nil tibi laudis erit.  
Sunt (inquis) scripti Musis et Apolline nullo,  
Sunt fateor: Quis te dicere uera negat?  
Displicet hæc (clamas) penitus mihi lectio: Nunquid  
Ergo meum pectus peius habere putas?  
Falleris, et cura a perturbas temet inani,  
Inq; nigro nigrum pectore uulnus alis.

CON-

C O N G R A T V L A T O R I V M

EPIGRAMMA IOACHIMI HELA-  
leri Leucopetræi, ad Sophoniam Pamin-  
gerum, Leonarti Filium.

**I**Am letare tuo gens Pamingeria nato,  
Quem genuit vatem, vates et ipse pater.  
Notus in Aonidum, et laudatus uterq; Choræis,  
Mellifluo uariis carmine promit opes:  
Sic similes generant similes, nec pulchrius ullum,  
A docto poterat ferre parente decus,  
Quam quod Pieridum genitor te duxit in hortos,  
Et docuit Clariæ pleetra mouere Lyra.  
Perge tua nunc laude Patrem superare disertum,  
Summum Parnasi scande Poëta iugum.  
Sic petitur cœlum ingenio, sic itur ad astra,  
Ingenij uiuit nescia fama mori.  
Hæc tibi perpetuos possessio durat in annos,  
Cætera sunt uitæ dona caduca, Vale.

A L I V D C A R M E N C O N G R A T V -  
latorium Erasmi Rotenbucher Haureuteri,  
ad eundem Sophoniam Pa-  
mingerum.

A 5 Diuersa

**D**iuersa sunt Mortalium  
 Studia, atq; multiplices Vie,  
 Quibus breuem, atq; lubricam  
 Vitam solent traduere cere:  
 Nec namq; Luxuriæ studet,  
 Huius Voluptas sunt opes,  
 Huic Cypridos studium placet,  
 Hunc quolibet Bacchus trahit.  
 Vos uero Pamingêrij,  
 Capita mihi carissima  
 Multò quidem foelicius  
 Vitæ dies traducitis.  
 Vos sancta Christi dogmata,  
 Musasq; carminibus pijs  
 Ornare non desistitis,  
 Poëta uterq; & Musicus.  
 Non ergo possum, quin pio  
 Vtrunq; pectore diligam,  
 Amplectar, & congratuler  
 Vobis utrisq; his Versibus.  
 Nam Veluti Magnes attrahit  
 Ferrum, latente causa, Ita  
 Vester latenter quolibet  
 Amor trahit pectus meum.

ALIVD

ALIVD DE GVOLFANGI LI-  
 thorij ad eundem Pamingêrum.

**A**n te suas perdent errantia sidera stellas,  
 Et freta cæruleis destituentur aquis.  
 Quàm tuus è nostro labatur pectore Candor,  
 Aut nomen tabulis posset abire meis.  
 Ergo iam foelix ô Pamingere Valetò,  
 Dum sidus stellas, dum uehit annis aquas.

LIBRI PRIMI POE-  
 MATVM SOPHON. PAMINGE-  
 geri Tetraſtichon ad Lectorem.

**M**aior eram multò, nec docta fronte carebã,  
 Plurima sed cogor dissimulare modò.  
 Eccho fortassis non semper nostra latebit,  
 Tempore prodibit nostra Querela suo.

POEMATVM

# POEMA

TVM SOPHONIAE PA-

MINGERI PATAVINI LIBER

Primus. Reuerendiss. Præsuli, Illustris-

simoq; Principi ac Domino Guolsgan-

go Comiti à Salmis, Episcopo Pataviensi,

Domino suo clementissimo S.



Illustris Princeps, Præsul claris-

sime salue,  
Salue Musarum gloria, curas  
decus.

Te meritò passim celebrat, uenes-

ratur amatq;

Et ueluti numen docta caterua colit.

Sicut enim stellæ auroræ nuncius inter

Emicat, & magni numinis instar habet:

Sic inter doctos fulges, splendoreq; multos

Vincis, & excellis dotibus ingenij.

Vel qualis diadema ornat preciosus Iassus

Saphyrus, Sannis, Medo, Smaragdus, Onyx.

Quas gemmas Persis, quas fertilis India profert,

Quas legit è terra diuite diues Arabs.

Tale

Tale decus sacris Musis es, & ornamentum,

Doctorumq; ornas, sic diadema uirum.

Non uero tantum Musas uirtutibus ornas,

Sed quacunq; potes arte iuuare, iuuas.

Doctus es: idcirco doctos amplecteris omnes,

Hinc tua non paucos nobilis Aula fouet.

Inter quos solers Aurelius ipse meretur

Palmam: Vir legum cognitione potens,

Tu pelagi medijs in fluctibus, atq; procellis,

Artibus ingenuis Anchora sacra manes.

Hæ, uelut ad portum pelagi post multa pericla

Ad te confugiunt, spemq; decusq; suum.

Nec spe frustrantur, sed protinus accipiuntur,

Optatumq; diu (non mora) littus habent.

Ergo tibi non immeritò doctissime præsul

Cynthus assurgit, Thespiadumq; Chorus.

Ergo conantur docti pro uiribus omnes,

Vt tollant clarum nomen ad astra tuum.

Ergo te demum magni Regesq; Ducesq;

In quorum uirtus pectore uiuit, amant.

Multa arcana tibi credunt, obscuraq; multa

Committunt soli discutienda tibi.

Inter quos odium si quando gliscere sentis

(Quo certè existit peius in orbe nihil)

Nulla quies donec Furiarum semina tollas,

Aut precibus blandis, consilijsuè pijs.

Accitus

D. Aure-  
lius Ren-  
ninger,  
Cancell-  
arius I. V.  
Doctor.

Accitus (fuerit si controuersia oborta)  
Rebus in ambiguis arbiter æquus ades.  
In qua re num sit, quàm tu foelicior ullus.  
Non equidem paucos ducit in ambiguum.  
Nec sanè munus postremum debet haberi  
Pectora magnorum flectere posse uirum.  
Hinc te egyptoꝝ meritò plariq; salutant,  
Aut egyptoꝝ, pacificumq; uirum.  
Indigenæ, Ciuēsq; tui nunc dicere nolo  
Quanti te faciant, quàm reuerenter ament.  
Quos prudens citra durum, austerumq; rigorem  
Concordes multa sedulitate regis.  
De quorum ceruice (Deo ductore) Gradiuū  
Sæpe auertisti tela cruenta trucis.  
Non armis, sed qua polles prudentia, & ipsis  
Viribus ingenij, consilijsq; probis.  
Hinc omnes non inuiti tua iussa faceffunt,  
Ad nutumq; tibi quisq; paratus adest.  
Fœlices Ciuēs, fœlix Respublica certè,  
Cui Princeps talis contigit, atq; pater.  
Sed dices: Quid tu? non re, nec nomine notus  
Ingenio infœlix limina nostra petis?  
Quid Musis indigna ferens, nulloq; uocante  
Nostra minus prudens inclyta tecta subis?  
Namq; hic Musarum tantum est accessus alumnis,  
Quos fœuit gremio casta Minerva suo.

TU

Tu rudis ingenio, nulla grauitate celebris,  
Nec tibi libatæ sunt Heliconis aquæ.  
Quid stridens anser iucundos inter Oloress  
Quid Musas inter Graculus Aonias?  
Non pudet indoctos doctis obtrudere uersus?  
Non horres magni Principis ora Viri?  
Esto quod possis nostræ describere laudis  
Munia (quod certe est diuitis ingenij)  
An censes illos alienæ laudis egentes,  
Quos uirtus claros, ingeniumq; facit?  
Falleris, aut temet laudum uesana cupido.  
Vexat, & ambitio plurima mente latet.  
Scilicet ut surgat tibi gloria nomine nostro,  
Vt possis Doctos inter habere locum.  
Hinc illæ lachrymæ (nisi nos sententia fallit)  
Hæc est summa tui carminis, iste Scopus.  
Ista quidem primùm uitanda responsa tacendo  
Censebam: quia me uicerat ipse pudor.  
Vicerat ipse pudor, rursum uincendus ab hoste,  
Quem modo prostratum uiderat ante pedes.  
Tela ministrabat pugnanti audacia præceps,  
Quæ possent pauidum pellere tela metum.  
Heus (inquit) timidi nunquã statuere Trophæum.  
Fortuna audentes, magnanimosq; iuuat.  
Quod si fors tardæ causa est infantia lingue,  
Vt magni fugias Principis ora Viri.

RAC



**Fac tamen ipsa suo fungatur munere dextra.**  
**Fac magnum scriptis aggrediare uirum.**  
**Non mutat uultus, non pallet, nonq; rube scit**  
**(Teste patre eloquij) littera fronte carens.**  
**Crede mihi clemens est Princeps atq; benignus.**  
**Et tua clementi pectore scripta leget.**  
**Nam quò quis maior uirtutibus, ingenioq; est,**  
**Tantò alios erga mitior esse solet.**  
**His telis pugnae audacia, talibus armis,**  
**Pugnandum contra eensuit esse metum.**  
**Obsequor: et redeo mox de certamine uictor,**  
**Prostratiq; iacent, & metus, atq; pudor.**  
**Quàm uero mihi sit foelix ignoro triumphus,**  
**Id tamen experiar tempore forte suo.**  
**Ingenio infelix (fateor) sum, nec mihi Phæbus**  
**Dexter adest, spernit uota precesq; meas.**  
**Non sanè cuius contingit adire Corynthus,**  
**Et Maro non omnes omnia posse refert.**  
**Insuper hos tollit, premit hos Rhamnusia cæca,**  
**Et nullo demens ordine cuncta regit.**  
**Quæ mihi si non usq; adeo aduersata fuisset,**  
**Si non mansisset dura nouerca mihi.**  
**Forsthan ingenio longè foelicior essem,**  
**Et possem magnis complacuisse uiris.**  
**Multa sinistra mihi tendenti ad Palladis arces**  
**Obstabant, & iter sunt remorata meum.**

**Dextra**

**Dextra quidem sursum pennis subuecta petebat,**  
**Leuam autem saxi grande premebat onus.**  
**Paupèriem, morbosq; graues, perferre coactus**  
**Sum, quoties lætus risit Apollo mihi.**  
**Ætatis teneræ, si uellem, plurima possem,**  
**Quæ nunc occurrunt commemorare mala.**  
**Verùm ne rursus crudescat hiulca cicatrix,**  
**Cætera sunt penitus prætereunda mihi.**  
**Non (inq;) ignoro quàm sit mihi curta supellex,**  
**Nam me sæpe meo metior ipse pede.**  
**Propterea inuitus tua limina docta petiui,**  
**Qui tibi nec re, nec nomine notus eram.**  
**Quippe nec ambitio, nec laudum cæca cupido,**  
**Tam duro imperio pectora nostra premit.**  
**Nec nostram obducit tanta caligine mentem,**  
**Vt nostri nosmet non meminisse sinat.**  
**Nam quamuis constet clarorum nomina reddi**  
**Clara magis, nomen concelebrando tuum:**  
**Non tamen id mihi sperandum est cõtingere posse,**  
**Tempore quem nullo turba nouena fouet.**  
**Quod tandem ad laudum spectat monimenta tuarũ**  
**Palladijs cursu lampada trado uiris.**  
**Namq; quid indoctus, laudes tentaret, & infans**  
**Condignas tanti conimemorare uiri?**  
**Ne postremò pius incomptis uersibus aures**  
**Obtundam, neu sim longior atq; decet:**

**B**

**Paucis**

**Faucis** (des ueniam precor illustrissime Princeps)

Dicam quæ fuerit carminis ansa mei:

Ipse meus genitor cuius tibi carmina quondam

Musica non equidem grata fuere parum,

Quem clemens dictis affatus es ipse benignis,

Cui tua sæpe dedit munera larga manus:

Is mihi præcipuam scribendi præbuit ansam,

Iste (inquam) pavidum iussit abire metum.

Nam dum pro meritis certissima pignora quærit,

Quæ gratæ mentis symbola certa forent:

Interea audierat sanctum te uolueres semper

Dauidis multa sedulitate librum,

**Psal. 102.** Atq; alios inter Psalmum te pectore toto

**Bene: anima.** Non tantum amplecti, sed recitare crebro.

Quo Regi summo Rex, Regius atq; Prophetæ

Corde pio grates encomiumq; canit.

Quo se corporis atq; animæ bona cuncta fatetur

Gratis habere: boni se meruisse nihil.

Quo Christum celebrat, de cuius plurima regno

Instinctu sacri Pneumatis ore refert.

Quem solum nouit peccamina tollere nostra,

Quem propter nouit regna beata dari.

Quo postremo monet (motus pietatis amore)

Vt laudent Dominum cuncta creata suam.

Hunc Psalmum placuit iunctis ornare parenti

Vocibus: hunc uoluit pignoris esse loco.

Vt

Vt gratæ mentis quoddam quasi pignus haberes:

Nam dare præterea symbola nulla potest.

Hæc mihi scribendi est oblata occasio tandem,

Carminis iste fuit fons, et origo mei.

Hortatorq; mihi non defuit unus, et alter,

Cui me censebam posse negare nihil.

Nec minimam in nostrum Collinum transfero culpam, **Christo-**

Quem tua clementer nobilis Aula fouet.

Quem recti mores, atq; ingeniosa Mathesis,

Commendant multa dexteritate senem.

Quem ueneror, uereq; colo, cui debeo multa,

Et nullo cui non tempore gratus ero.

Qui cum sæpe tuas uirtutes enumeraret,

Condignas magno Principe quippe uiro:

Quam sis mansuetus, quam clemens atq; benignus,

Quamq; sit à fastu mens aliena tibi.

Atq; ea cum nunquam præconia teste carerent,

Cum multis essent singula nota prius:

Non potui quin quod tibi toto corde precabar

Verbis, atq; istis uersibus exprimerem.

Ergo te precor imprimis amplissime Princeps,

Vt mea clementi pectore scripta legas.

Ignoscasq; mihi quod peccauisse uidebor,

Quod fuerim doctos ausus adire lares.

Nam quamuis cogar me peccauisse fateri.

Non tamen est soli pœna ferenda mihi.

**phor. Col  
lunus, Ma  
themat  
cus.**

Siq; tibi uideor temerarius & nimis audax,  
 Maior erit fama poena ferenda tuae.  
 Quae me etiam (inuitum) te compellere coëgit,  
 Peccatiq; mei maxima causa fuit.  
 Ne quaeso spernas chartacea dona parentis,  
 Ne spernas ea quae mens tibi grata dedit.  
 Quod si quando magis nos inuenerit ipsa Minerva,  
 Tunc dabimus magno munera magna uiro.  
 Sis nobis dexter, sis clemens atq; benignus,  
 Clementerq; foue, meq; Patremq; meum,  
 Christus te seruet, te protegat atq; gubernet,  
 Teq; suam recto tramite ducat iter.  
 Faxit quò possis contemnere cuncta pericla,  
 Et Sathanæ contra fortiter ire minas.  
 Det tibi quò ualeas ritus abolere prophanos,  
 Sanctaq; solius iussa fouere Dei.  
 Sic tandem reddes cum scœnore quinq; talenta,  
 Quae tibi clementer credidit ipse Deus.

Die 10 Februarij. Anno 55.

**EPITAPHIUM EIVS-**  
**DEM REVERENDISS: PRÆSV**  
 lis annum fatalem literis numerum  
 significantibus exprimens.

SALMI4\*

SALMI4 gentis VVOLfgangVs gLoria

PræsVL,

HIC CVbat, atq; Vc parens Vrbs Patavina  
 tVVs.

Obijt in spe resurrectionis mortuorum &  
 uitæ sempiternæ, Anno 55. Die 6  
 Decembris.

**CARMEN CONGRA-**  
**TULATORIUM SOPHONIÆ PA-**  
 mingeri, quo gratulatur Reuerendiss:  
 Præsuli ac Domino Urbano, Ec-  
 clesiae Gurcensis Antistiti  
 Domino suo cle-  
 mentiss.

**MARGINALES, PRIMÆQ; V**  
 uersuum literæ (quibus etiam annus primus Epif-  
 copatus Reuerendiss: huius Præsulis desi-  
 gnatur) hoc continentur  
 disticho.

Urbanvs præsvL Gvrcensis Ivssa sv-  
 perni  
 PræDicet, Vt Christi! sedvlo CVret  
 oves.

B 3

Viuat

**V**iuat Cureensis diuino numine Præsul  
 Repleat & Pylij sæcula longa senis.  
**B**ella gerat gladio munitus Pneumatis almi,  
 Atq; hostes Christi cogat habere metum.  
**N**on cesset Christi defendere dogmata sancta,  
 Vana superstitio pectora nulla premat.  
**S**ed tenebris pulsus cœlesti luce fruatur  
 Pectora doctrinis penè sepulta malis,  
**R**estituat nobis scelicis munere lingua,  
 Æterni tandem munera sancta patris.  
**S**olius fidei saluantis gloria crescat,  
 Virtuti propriæ gloria nulla detur.  
**L**ampada quò uerbi diuini rite sequamur,  
 Grataq; sint summo munia nostra Patri.  
**V**erbo diuino cadant Acherontis alumni,  
 Rectoris uitent fulmina seuæ Dei.  
**C**onsilium nullum, nullumq; strategma superbum  
 Euertet Regis iussa tremenda Patris.  
**N**on igitur magni faciemus Dæmonis irans  
 Syrposi, aut mundi tela cruenta trucis.  
**I**lli contra nos miscebunt prælia, Christus  
 Succurret nobis, atq; strategus erit.  
**I**ustus enim Deus est, lætiq; subinde uidemus,  
 Vt curet multa sedulitate suos.  
**S**ancta subinde suis dat munera, cōmoda sancta,  
 Sancta conspicuos Relligione uiras.

A bdere

**A**bdere nec penitus patitur mysteria uerbi  
 Sacri, Doctores excitat usq; pios.  
**V**t ueræ fidei, & pietatis semina spargant,  
 Proponantq; sacro pabula sacra gregi.  
**E**t quia non peccatores peccata gementes  
 Respuit, assidue pharmaca sana parat.  
**N**os quoq; palantes doctorum uoce piorum,  
 In Christi sacrum rursum ouile uocat.  
**P**astores inter tales Urbanus habebit  
 Rite locum, Præsul sedulus atq; uigil.  
**Æ**therei qui iussa patris non deside cura  
 Dissertit, & rectum ducere nouit iter.  
**I**nclita uirtutis cœlestis præmia monstrat,  
 Chresticola suauis nectare replet oues.  
**E**gregie uitare docet sæuissima tela,  
 Tela quibus Dæmon sauciat, atq; nocet.  
**V**ana Sophistarum confundit somnia, nugæ  
 Tollit, rixarum semina nulla sruet.  
**C**hristum præterea nostrum caput esse fatetur,  
 Haud minus & summū Pontificem esse probat.  
**R**egni cœlestis quicquid uia sancta requirit  
 Insuper, hoc uultu liberiore docet.  
**S**ummo igitur grates dicamus, corde Parenti  
 Toto, qui clemens uisitat usq; suos.  
**I**mmittis ne nos ingratos pœna sequatur,  
 Soluamus laudum munia sancta Deo.

**E**t seruis Christi dignum exhibeamus honorem,  
 D octrinam ueræ qui pietatis habent.  
**V**rbano uero (quo uix urbanior alter)  
 L ætis cantemus carmina læta modis.  
**O**ptemusq; illi foelicia fata frequenter,  
 C orde erumpentes talia uerba pios  
**V**iuat Gurcensis diuino numine Præsul,  
 R epleat & Pylij sæcula longa senis:  
**E**t Christi pergat sanctissima spargere dicta,  
 T artareiq; Iouis spernere rite minas.  
**O**mnipotens Pater, et natus, cum Pneumate sancto  
 V otis his nostris dexter adesse uelit.  
**E**t nos hac tandem lachrymarum ualle relictâ,  
 S anctis coniungat cætibus, atq; choris.

Die 29. Augusti, Anno 56.

**AD REVERENDVM**  
**DOMINVM AVGVSTINVM MV-**  
 nich Ranshouiani Cenobij Antistitem, Mecæna-  
 tem suum incomparabilem, somnium  
 non fictum.

**S**alue Mecænas studiorum Fautor & Author  
 Nostrorum, Aonio carmine digne pater.  
 Quamuis nil penitus te dignum scribere possim,  
 Et mihi Phœbus opem deneget ipse suam,

Nolo

Nolo tamen me Panthoidis submittere legi,  
 Qua perhibent tacitos occubuisse uros.  
 Sed potius tardæ dissoluam uincula linguae,  
 Et gratæ mentis carmina pauca canam.  
 Donec enim uiuam nomen uitare studebo  
 Ingrati totis uiribus ingenij.  
 Quo tibi me uereor suspectum nomine dudum,  
 A me cum redeat gratia nulla tibi.  
 Hinc mihi sæpe fugit pars non postrema quietis,  
 Hinc mentem exagitat cura diurna meam.  
 Eoos seu flestit Equos Hyperione natus,  
 Siue nigram noctem pallida Luna regit.  
 Ipsa mihi tua continuo obuersatur imago,  
 Nec non officij me monet usq; mei.  
 Sed ne me dubites folium recitare Sybilla,  
 Atq; adeo penitus non nisi uera loqui.  
 Accipe quod nuper mandau i uersibus istis  
 Incompitis, & quod te uolo scire scies.  
 Eumenidum mater cœlum contexerat umbris,  
 Lunaq; nocturnos alta regebat equos.  
 Tunc mea tranquillam carpebāt membra quietem,  
 Omnibus & curis mens mea libera erat:  
 Hinc mihi concentum iucundum audire uidebar,  
 Et mixtum dulci murmure dulce placet.  
 Dixisses uoces cœlesti numine dignas,  
 Atq; Panomphæo carmina digna Deo.

B 5

Sedulo

Sedulo quærebam quis uoces ederet istas,  
 Num sacris essent addita uerba modis.  
 At indignus eram, meaq; irrita uota manebant,  
 Decepitq; animum spes sitibunda meum:  
 Namq; una ratione meis miser auribus obsum,  
 Quæ mea sperabam lumina posse capi.  
 Cumq; chori auditi uestigia nulla uiderem,  
 Et neq; uox aures tangeret ulla meas,  
 Hinc inde infœlix, in pectore plurima uoluens,  
 Errabam nullo me comitante diu.  
 Transgo per nemus ærium, nemorosaq; tempe,  
 Ipsis cœlicolis per loca digna uiris.  
 Tunc nemus ante mihi pario de marmore templi  
 Cernitur, & circa plurima turba uirum.  
 Plurima quos inter mihi pectora chara uidebam,  
 Pectora Thesæo foedere iuncta mihi.  
 Quorum pars maior uitæ uestitur aura,  
 Pars autem Ætherei uiuit in arce poli:  
 Accedo, solitaq; salute impartior omnes,  
 Illi me contra rite ualere iubent.  
 Interea ex medio Stephanus ruit agmine noster,  
 Me petit, atq; mihi talia uerba facit:  
 Salue Pamingere mihi charissime amice  
 Dimittum uitæ, pectoris atq; mei.  
 Non uer purpureum uobis, nec Atlantides ipsæ  
 Cum redeunt, secum gaudia tanta ferunt:

QUANTA

Quanta tuus mihi nunc conspectus gaudia confert,  
 Pamingere mihi foedere iuncte pio.  
 Hæc cum dixisset, extensis me excipit ulnis,  
 Quod certum ueteris pignus amoris erat,  
 Deinde manu apprehensum ducit me ad limina tēpli  
 Per mediam turbam, per mediosq; uiros.  
 Quæ ratione uales (inquam) charissime Thesæus?  
 Quem uè tuis credam rebus inesse modum?  
 Incipit, atq; mihi longo ordine cuncta recenset,  
 Quis uè status rerum conditione foret.  
 Non (inquit) fortuna mihi aduersatur ut ante,  
 Sed uita longè commodiore fruor.  
 Nonq; scholæ duros cogor perferre labores,  
 Quos plerunq; solet gratia rara sequi.  
 Non equidem ignoras quàm sim perpeffus iniqua  
 Fratribus à falsis, discipulisq; meis.  
 Et Mæcenatem quoties mihi reddere acerbum  
 Conati fuerint te meminisse reor.  
 Non aliam ob causam q̄ quod pia dogmata Christi,  
 Propugnare pio pectore promptus eram.  
 Non mihi nunc obsunt odia, inuidia, infidiæq;  
 Non mihi tenduntur retia plena dolis.  
 Nulla meam mentem nunc sollicitudo fatigat,  
 Et lædunt animum scandala nulla meum.  
 Non ego nunc uideo succumbere sacra prophætis,  
 Atq; piæ mentes impietate premi.

NON

Non uideo Christi peruerti dogmata sancta.

Et Latiaæ Sphingis dogma ualere magis.  
Sed. (ne uerborum te longo syrmate ducam)

Cum Christo aeterna prosperitate fruor.  
Tu solare tuos cum coniuge quaeso parentes,  
Qui studium uerae religionis amant.

Inde meam Martham placida impartire salute

Martha Insuper atq; illi talia dicta refer:  
Stephani Vt puro puram doctrinam pectore seruet,  
Vxor. Et natum doceat pignora nostra Dei.  
Ne teneræ mentes imbutæ dogmate falso,  
In laqueos Sathanæ, & mille pericla ruant.  
Sed mea & illorum uestigia rite sequantur,

D. Or. Quos propter Christi dogmata mundus odit.  
solphus Multis autem habitis sermonibus ultrò citroq;

Fuxper- Vestibulum ante nitens, ingrediamur ait.

ger. Syn. Hic Fuxpergerum, Capiostillumq; uidebis,

dicus Reib. Vestrae quippe urbis lumina magna duo.

pub: Pa- Obsequor, ingredior, uideo, accedo, atq; saluto  
tauensis. Illos: nec longo tempore colloquimur.

Et Magi. Interea Stephanus tenues se abscondit in aurat,

ster Ioan. Æthereas sedes, & loca sancta petens,

nes Kap. Illi autem me continuo in penetrabilia ducunt,

penstill. Subijcuntq; oculis plurima grata meis.

ArchiGrā Mox mihi cōmonstrant pictam mira arte tabellā,  
mataus. Cuiusdam docti nobile Apellis opus.

Et

Et quamuis possem qualis pictura fuisset

Dicere: nolo tamen longior esse modo:

In qua dum mirando & contemplando moramur,

En (quidam exclamat) quem uoluistis adest.

Tunc multa grauitate uirum prodire uidemus,  
Stipatum turba suscipiente stipem.

Ille alacris singillatim omnibus ordine longo  
Ambabus manibus munera larga dabat.

Acceptis donis, læta omnes fronte recedunt,

Dicentes: Inopum uiue benigne Pater,

Viue benigne pater longos in Nestoris annos,

Atq; tibi reddat præmia larga Deus.

Dimisit igitur largo cum munere egenis,

Nos petit, & lætus, nunquid adestis? ait.

Postquam uero meis has uoces auribus hausi,

Te Mæcænatem percipio esse meum.

Cumq; tibi optarem foelicia poplite flexo,

Et dextram uellem præhendere ut ante tuam:

Tu mihi subducens toto cum corpore uultum,

Non aures, inquis, nunc tibi pando meas.

Inde uiros nostræ quos lumina diximus urbis

Ducebas tecum non remorante gradu.

Attonitus stabam, Pharij quasi fulmine tactus,

Quid facerem ignorans, quæ uè responsa darem.

Illi respiciunt, & dant mihi signa sequendi,

Nutibus & uerbis, eminus ergo sequor.

Mæcenas  
pater pau-  
perum.

Insuper

Insuper atq; atram conantur tollere bilem,  
Meq; tibi rursum conciliare student.  
Tu uero stabas ueluti Marpesia cautes,  
Flectere nec poterant te pia uota uirum.  
Ecquid Mœcenas commisi criminis inquam  
Optime? qua læsi te ratione precor.  
Ut mea cum precibus tantorum uota uirorum  
Despicias: facinus dic mihi quæso meum:  
Sed quasi syrenum cantus uitare studeres  
Auribus auersis non nisi surdus eras.  
Quam crudelis eras? quantum mutatus ab illo?  
Cui quondam uerè charus alumnus eram.  
Ergo mei rursum incipiunt cogitare patroni,  
Et mecum causam quærere tanti odij:  
An Gyaris dignum patrassem, aut morte piandum,  
An turpi dignum carcere turpe nefas?  
Tu contra: quid me dictis obtunditis istis?  
An quicquam ingrato turpius orbis habet?  
Naturam præter stomacho cum talia multo  
Dixisses, iubeor protinus ire procul.  
Cumq; respondendi mihi copia nulla daretur,  
Inceptum mærens ingrediebar iter.

Steph<sup>a</sup>. Heuteurus uero cum me uidisset euntem,  
Heuteurus magno iunctus amore mihi:  
Me petit, atq; rogat, solitò cur tristior essem?  
Quid tibi sibi uellet frons caperata nimis?

Obiectum

Obiectum est (inquam) mihi detestabile crimen,  
Nec scio me tanti criminis esse reum.  
Hæc cum dixissem, uox imis faucibus hæsit,  
Nec mihi concessit dicere plura dolor.  
Et quanquam dictis me solabatur amicis,  
Omne tamen studium prorsus inane fuit.  
Vsq; adeo impatienti animo tam turpe ferebam  
Crimen, tantus erat (nec sine felle) dolor:  
Ut mihi consuetam prohiberet habere quietem,  
Et mea composito membra sruere toro.  
Namq; meum uariè dum magna iniuria pectus  
Discruciat, fugit pulsa dolore quies.  
Hinc toto gelidus manabat corpore sudor,  
Fessaq; uix poteram membra mouere loco.  
Multa quidem mecum uoluebam mente sagaci,  
Qualia mens magno læsa dolore solet.  
Idcirco insomnem turbato pectore noctem  
Ducebam infœlix, omnia tuta timens.  
Donec puniceo matuta exibat amictu,  
Frenaq; flammigeris sol dare uellet equis.  
Hæc pie Mœcenas uigili celebrande labore,  
Ordine censebam commemoranda tibi.  
Pectoris ut grati quoddam quasi pignus haberes,  
Quæ restant coràm commemorabo, Vale.

Anno 56. Mense Aprili.

IN



IN PIORVM PERSE,  
QVVTOREM.

**I**mpie quid tentas cælo detrudere Christum?  
Quare quæso necas, persequerisq; pios?  
An credis summum tua tanta nefanda latere  
Facta? aut sancta sui spernere uota gregis?  
An nescis quàm grata Deo suspiria ab imo  
Corde piorum sint, audiat utq; Deus?  
Sanguinis en sancti ad cælos effuso uenit,  
Teq; manent furie & tristia fata simul:  
Te Regem terræ summus Rex esse uolebat,  
Annè tibi speras, & sua sceptra dabit?  
Eia âge quid differs Christo ipsi indicere bellat  
Ne dubites te ipsum uincere posse Deum.  
Non metuis quod sit talis tibi poena ferenda,  
Qualis erat Sauli poena luenda truci?  
Nam qualis sæuim Pharaonem poena sequuta est,  
Talis (crede mihi) te quoq; poena manet.  
Qualis poena fuit multos comitata Tyrannos,  
Qui non à sanctis abstinuere manus:  
Talis poena tuos gressus comitabitur usq;  
Donec cum præuis præmia digna feras.  
Nam tua nunc Nemesis passim uestigia seruat,  
Teq; cito sequitur cominus ipsa pede.

Non

Non sperare piam te tantum ledere plebem  
Debes, crudeli quæ cadit ense tuo.  
Quantum te lædis, quantum tibi nescius infers  
Damni, cum speras te nocuisse pijs.  
Nam tuus iste furor miseris solatia præbet,  
Qui uitam hanc miseram spernere rite sciunt.  
Promouet atq; pios, lachrymarum ualle relictâ,  
Ut possint uita prosperiore frui.  
Exilium læti fugiunt, patriamq; sequuntur  
Cœlestem, & tecum Christe benignè manent.  
Hic fastum rident, atq; impia facta Tyranni,  
Hæc Sathane, & mundi tristia fata uident.  
I nunc, imperioq; tuo utere, ad impia coge,  
I ferro, atq; igni perge necare pios.  
I nunc Vulcanum arma roga, Maurumq; sagittas,  
Et mox Cyclopas iunge tibi ariferos.  
Fœdera fac tecum iungat cum Sphinge Latina,  
Et toto mundo callidus ipse Sathan.  
Nec mansuetudo, nec te clementia tangat,  
Sed quacunq; uales arte nocere, noce.  
Ah quæ tanta tuam mentem uesana libido  
Occupat, ut statuas tanta trophæa tibi?  
Ah te quæso redi, grassari desine tandem,  
Ne sapias tristi tempore more Phrygum.  
Nam Deus est fortis, quem nulla potentia terret,  
Quem solua metuunt cuncta creata simul.

C

Hunc

Hunc poteris (mibi crede) strategmate uincere nul  
Qui per cuncta bonus secula miles erat. (10,  
Non tibi (non inquam) conceditur ista potestas,  
Vt duro imperio pectora nostra premas.  
Sufficiat (moneo) quod Rex tibi corpora summus  
Cum rebus nostris, nostra regenda dedit.  
Stringe magis gladios in Christi nominis hostes,  
Qui contra Christum tristia bella cient.  
Qui miseros ledunt, qui crimina plurima patrant,  
Qui per uim rapiunt, & populantur agros.  
Qui sunt postremo cunctorum lerna malorum,  
A quibus est omnis fons & origo mali.  
Hos (inquam) contra fulgentibus utere telis,  
Et satis officio feceris ipse tuo.  
Accipe quæ tua sunt gratus, diuina relinque  
Sponte Deo, largus, qui tibi cuncta dedit.  
Tu terrenus es, estq; tibi terrena potestas,  
Cum rebus nostris corpora nostra rege.  
Tu Dominus mortalis es, & mortalia cuncta  
Te merito Regem, te Dominumq; colunt.  
Sed Rex æternus, qui uiuit in arce polorum,  
In cuius manibus stat tua uita breuis,  
Quem nec tempus edax rerum, nec cana uetustas  
Tangit: quem mortis iura tremenda tremunt.  
Hic solus coelestia, & immortalia curet,  
Hic nostras mentes iudicet, atq; regat.

Tunc

Tunc tibi, quæ fuerint tuas, nos præstabimus ultro,  
Ad nutumq; tibi quisq; paratus erit.  
At si non toruus cessaueris esse Tyrannus,  
Si poterit mentem flectere nemo tuam;  
Sæua tamen forti spernemus corde pericla,  
Donec nos clemens inuerit ipse Deus.  
Est iactura leuis præsentem perdere uitam,  
Subdita quæ tantis cogitur esse malis.  
Si modo seruentur cœlestis commoda uite,  
Si saltem liceat regna beata sequi.  
Nil certe nobis præter corpuscula mauius  
Abstuleris, alijs interitura breui.  
Sed nec nostra potest uolentia tangere membra,  
Si non concedat, conniueatq; Deus.  
Quem scimus nostri capitis numerasse capillos,  
Et guttas nostri sanguinis exigui.  
Cui soli sit laus, honor, atq; inuicta potestas,  
Imperium æternum, gloria uera, decus.

## IN QVENDAM CON- CIONATOREM INEPTUM,

**Q**uid lustralis aquæ uim tantis laudibus effers?  
Quid narrare precor somnia uana iuuat?  
Vnde uuum (quæso) peruersum dogma probabis?  
An non diuersum Biblia sacra docent?

C 2

NON

**Non more Eumenidum satis est quassare capillos,**  
**Non iactare manus, nonq; rotare caput.**  
**Sed neq; Gorgonis in morem tragicumq; tueri**  
**Sufficit, aut magno uerba crepare sono.**  
**Si nos sic Christus docuit, uel Apostolus ullus,**  
**Aut si nos sancti sic docuere patres:**  
**Profer quicquid habes, nam si nos credere oportet;**  
**Dices quare tibi sit tribuenda fides.**  
**Ergo ne uanas uidearis spargere nugas,**  
**Si quid habes, inquam dic age si quid habes.**  
**Tunc te Phœbæ nobis recitare Sybillæ**  
**Credemus folium, & non nisi sancta loqui.**

**PRO PACE ECCLÆ**  
**sæ ad sacrosanctiss. Trinitatem preca-**  
**tiuncula, Anno 46. Die 21.**  
**Augusti.**

**O** Pater omnipotens qui regnas trinus et unus  
 Da ueniam uitis, parce tuo populo.  
 Parce tuo populo, noli meminisse prioris  
 Culpe, per Christum suppliciter petimus.  
 Da nobis pacem, pacem nos poscimus omnes,  
 Qui Deus es pacis desinat ira tua.  
 Et tu Christe salus, spes, atq; redemptio nostra  
 Exora ueniam, suscipe uota tuum.

Spiritus

Spiritus alme Dei fidei tu dogmata sparge,  
 Fac nos concordēs, fiat ut una fides.

**PRO VENIA DELI-**  
**ctorum, & mitigatione**  
**pœnarum.**

**T**E Deus omnipotens obtestor pectore tota  
 Ne reddas meritis præmia digna meis.  
 Quæ me iam dudummersissent faucibus orci,  
 Ni mihi morte tua Christe tulisses opem.  
 Propter quem Deus alme tuam deponere pœnam  
 A me digneris, qua premor usq; miser.  
 Hinc tibi mente pia laudes, gratesq; perhennes  
 Dicam, templa poli qui regis Empirij.

Anno 48. Die 11. Iulij, cum de  
 uita periclitaretur.

**PRECATIO PVERIS**  
**Liberalibus Studijs incumbenti-**  
**bus dicenda.**

**N**Ate patris summi, nostrum miserate laborum  
 Qui solus ueri es fons & origo boni.

C 3

Qui

Qui pro peccatis nostris tormenta subiisti  
 Cruclis læthis, suppliciumq; crucis,  
 Qui genus humanum saluasti sanguine fuso,  
 Damnatum propter crimina fontis Adæ,  
 Quiq; æterna tui Patris es sapientia uera,  
 Æternum lumen, splendor, imago, λόγος,  
 Qui puer annorum bis sex doctoribus ipsis,  
 (Doctoris fungens munere) Doctor eras  
 Te per tormenta, & tua uulnera seua rogamus,  
 Per colaphos sauos, purpureamq; crucem;  
 Scilicet ut clemens accendere Pneumate sancto  
 Non dedigneris pectora nostra tuo.  
 Vt nostros foueas conatus, atq; labores,  
 Vt studijs nostris dexter adesse uelis,  
 Vt nos æterna deducas tramite uitæ,  
 Ne nos decipiat mundus, & ipse Sathan.  
 Ingenua & mentes nostras rege, flecte, gubernas  
 Dirige, custodi, sanctifica, atq; foue.  
 Artibus ingenus, & sanctus dotibus orna,  
 Doctrinis reple, muneribusq; tuis.  
 Nam te doctorem nobis ex uoce paterna  
 Desuper emissa, nouimus esse datum.  
 Cum tua Iordanis sanctissima membra rigaret  
 Præcursor undam iusticie tibi:  
 Continuo cælum patuit (mirabile uisu)  
 Et clara coepit luce micare polus,

Math. 3.

Sant. 118

Sanctus sub specie blandæ, mitisq; columbæ  
 Se contemplandum spiritus exhibuit,  
 Atq; tuo capiti demissus ab æthere cælo  
 In sedit sancto, ut pagina sacra docet,  
 Vox patris intonuit cæli de sedibus altis,  
 Vox quæ diuini plena fauoris erat:  
 Hic meus est (inquit) dilectus filius, in quo  
 Solo delector, complaceoq; mihi.  
 Hunc omnes populi Doctorem audite docentem  
 Auribus attentis, pectoribusq; pijs.  
 Hic uobis dicet quæ sit mea sancta uoluntas,  
 Tollere quo pacto crimina uestra uelim.  
 Ergo quando omnis plane est commissa potestate  
 A patre cælesti Christe benigne tibi.  
 Quando ubes pueros ad te properare pusillos,  
 Atq; tui regni lumina sancta uocas:  
 Pectore te toto, tota te mente precamur,  
 Ne negligas nostras, despiciasuæ preces.  
 Vt tibi possimus gratam traducere uitam,  
 Et tecum æterna prosperitate frui.

## PRO FOELICI Coniugio.

Cæsta Sophoniæ iam nupsit uirgo Rosina,  
 Et duo coniunxit corpora sanctus amor. *geri filius.*

Rosina

Kündlin

C 4

Ergo

Ergo Deus te coniugij qui primus es author  
Oramus nostras ut tueare preces.

Conserua, & rege iam diuino foedere iunctos,  
Ne possint illis ulla nocere mala.

Lis, simulatus amor, discordia, iurgia, rixæ

Absint, adsit pax, & pietatis amor.

Vt placidam, gratamq; tibi nunc ducere possint

Vitam, atq; æterna postea luce frui.

Quod faxit Christus saluator amabilis, atq;

Nostra suo sancto Pneumate corde regat:

Amen.

Anno 50. Vltimo Augusti,  
quo uidelicet die celebratæ  
sunt Nuptiæ.

## PRECATIO AD DEVM

Patrem Domini nostri Iesu Christi in ipso vxoris  
partu. Anno 57. Die 12. Maij, in cuius  
nocte Anna filiola nata est.

**A**dmiranda quidẽ tua sunt sanctissima facta  
Omnia, cœlipotens, atq; benigne Deus  
Attamen humani generis formatio cunctis

Eximium meritò creditur esse magis.

Quod tot diuinis ornasti dotibus, & quod  
Iungendum nato nouimus esse tuo:

Te

Te precor, ut qui me tanti dignatus es esse

Instrumentum operis, plasmatis atq; tuic

Sic uitæ sociam in partu, foetumq; gubernes,

Atq; utrunq; tua pro bonitate iuues.

Condideras genus humanum pater optime prius

Expers languoris, tristitiæq; rude,

sed lapsi technis atri, Stygijsq; colubri,

Eheu quam miseris angimur usq; modis?

Fac Pater ut robur nobis uiuumq; uigorem

Restituat nati passio sancta tui. Amen.

## IN NATALEM LEONARTI

Pamingeri parentis sui Charissimi, Mu-  
sici clarissimi.

**A**ureus ecce dies, atq; aurea festa recurrunt  
Cantibus, & uotis concelebranda pijs.

Lætus Apollo adsit redimitus tempora lauro,

Thespiadum ducat casta Minerua chorum.

Namq; dies præsens dulcissima gaudia nobis

Nunciat, & Genio mittere frena iubet.

Quo Pamingerus Musarum cura, decusq;

Prodiit, ut caneret carmina grata Deo.

Ergo exultemus lætantes, atq; precemur.

Annos Nestoræos ut superare queat.

¶ Natus est Anno 1495. Dominica Lætare, quous

delicet Anno Epidimia luesq; pestilentialis per

totam Europam grassata est. C 5 Ad

## AD PARENTEM.

**Q**uas tibi pro tali Genitor pie munere gra-  
Reddam, si fuerit non habuisse satis? (tes  
Non habuisse satis, certe retulisse iuuaret,

Ipse autem nosti non opis esse meae.

Argentum mihi das, tenuem tibi reddo papyrum:

Quo pacto quaeso hæc munera conueniunt?

Conueniunt equidem (nisi me sententia fallit).

Non secus atq; Alga, & Lilia conueniunt.

Lilia delicias præbent, & rite leguntur,

A cunctis autem spernitur Alga putris,

Sic alijs colitur rebus plerisq; neglectis

Aurum, atq; argentum: charta neglecta iacet.

Creditur argento nihil esse utilius orbe,

At Musis rara est gratia, rarus honos.

Argentum nunquam nitidis expellitur Aulis,

Ipsa autem Pallas cogitur ire procul.

Sed ne pessatur uideas accedere raro,

Quis nunquam admissam, pellere quaeso queat?

Argentum Reges sacra in penetralia condunt,

Coguntur uiles Musæ habitare casas.

Argentum manibus Regum palpatur auaris,

Sed multis chartam est tangere grande nefas.

Et si tangatur, turpes in tangitur usus,

Quos hæc nequaquam commemorare decet.

Occupat

Occupat argentum mentes, mortalia mulcet.

Pectora: pauci quos carmina docta iuuant.

Turpis res, homine ingenuo indignissima, quondam

Esse rudi ingenio & nil didicisse, fuit.

At nunc diues, & ingenuus, doctusq; putatur,

Nunc est res tantum turpis: habere nihil.

Ista tamen nullo discrimine dicere nolo,

Sed quadam certa conditione loqui.

Nam multos nunc nostra fouet Germania doctos,

Heroes fortes, magnanimosq; uiros.

Qui Musas uere amplectuntur, amantq; fouentq;

Et sacris st udijs anchora sacra manent.

Verum quo feror? & uerbis quid pluribus utor?

Texere nunc animus non fuit historiam,

Ergo pater celebrande uale nostramq; papyrum

Argenti puri suscipe quaeso loco.

Anno 54. Die 10. Iulij.

## AD PARENTEM CVM

### Phlebotomia uteretur.

**V**T tibi sit foelix emissio sanguinis, atq;

Vt reparet uires, mentem, ammūq; tuū.

Quo ualeas semper Genitor charissime belle

Obtestor summum, deprecor atq; Deum,

ille

*Ille proculdubio clemens exaudiet omnes  
Per Iesum Christum, uota, precesq; meas.*

AD EVNDEM.

**Q**uod libros absoluisti feliciter istos  
Hare pater, Christo laus sit, et ois honor.  
Quem Dominum solum, saluatoremq; celebras,  
Id quamuis nolit mundus & ipse Sathan.  
Multi quippe ualent doctrinaq; ingenioq;  
Nutriti gremio casta Minerua tuo.  
Pars autē penitus negligit, pars magna prophanis  
Utitur in rebus dotibus ingenij.  
Non pudet offēdisse pios, & scandala multa  
Præbere infirmis, impia quæq; canunt.  
Ast hi non Christum quæerunt, nec coelica regna,  
Fex hominum, & Stygio debita præda Ioui.  
Sed tu chare pater modularis carmina sancta,  
Concentuq; ornas mystica uerba Dei.  
Carmine uicturo fidei tu dogmata leta  
Spargis, & unculcas iussa tremenda Dei,  
Omnibus his spretis quæ scandala tristia præbent,  
Quæ eue pios lædunt, prauaq; corda iuuant.  
Sic colitur Christus, sic quæritur, utur ad astra,  
Sic quoq; uitatur poena luenda malis.

Omnipotens

Omnipotens pater, & natus, cum Pneumate sancto  
Te nobis seruet, te regat, ornet, amet.

AD EVNDEM.

**P**erge fauente Deo, genitor dulcissime perge  
Illustrare modis coelica uerba pijs.  
Nam licet hæc Musas non ferrea sæcula curent,  
Quas stygij fines exilue're lacus:  
Sancta tamen te posteritas mirabitur olim,  
Et soluet laudis munia digna tua.  
Et licet haud unq; te gloria nominis ulla,  
Vel uanæ laudis sollicitarit amor,  
Sponte tamen Musæ ornabunt tua tempora fertis,  
Crescat ut ingenio gloria magna tuo.  
Non poterit Christus te non celebrare uicissim,  
Quem celebras omni tempore corde pio.  
Ipsus te seruet nobis per sæcula longa,  
Et nobis donet regna parata suis. Amen.

AD SIGISMVNDVM PA-  
mingerum Fratrem.

**A**nnales istos à me charissime frater  
Tanquam fraterni pignus amoris habe.  
Continet

Continet iste liber scitu dignissima multa:

Est paruus, uerum non nisi magna docet.

Hic mihi, cum magno sub precepto

Philippus V. ~~me~~ agerem, commoda multa tulit.

Melan- Huius (præterquam quod commoda multa ferebat)

thon.

Lasso grata quies lectio saepe fuit.

Idcirco quoties cupiebam fallere tempus,

Hunc multa legi sedulitate librum.

Tu, si quid grati mihi uis præstare uicissim,

Si uis fraterno semper amore coli:

Fac patris, et nostri uestigia rite sequaris

Fratri, qui uiuens Lazarus alter erat.

Balthes- Sis pius, atq; pius non cessa uolueris libros,

Far Pamp- Donec in optato stet tua cymba loco.

inger. Donec Gorgoneum possis conscendere collem,

Et doctas inter ludere Castalidas.

Quam multis curis, quas candens sustinet et æ

Eripies charum frater amande patrem?

Gaudia quantas precor, Matri, solatia quanta

Præstabis, fueris, si pius, atq; probus?

Inuites parca quatuor cum fratre sorores

Heu numium nobis eripuerit cito.

Quorum obitu dulces quanto mœrore parentes

Affectu fuerint, nemo referre potest.

Hunc tamen hac ratione potes lenire dolorem,

Offitium quando feceris ultrò tuum,

Ergo

Ergo age mi frater mœstos solare parentes,

Ingenium literis erudiendo tuum.

Nam sic perpetuam laudem, decus, atq; fauorem

Præfiduinq; tibi conciliare potes.

Christus. saluator clemens tua cœpta secundet,

Atq; tui uires augeat ingenij.

SIGISMUNDVS PA-

minger Sophoniæ Fratri suo

charis: S. D.

F Astos acceptos à te charissime frater  
Tanquam fraterni pignus amoris amo,

At; quod pro dono tali tibi debeo rursum

Id modo non opis est reddere, quippe, meæ.

Si uero quicquam te dignum occurrerit unquam,

Cognosces quam sit mens mea grata tibi.

Hanc utuam factis mihi declarare liceret

Mentem, quæ semper grata futura tibi est.

Conspicuum sanè est tui id in me pignus amoris.

Exhortatio sed gratior ipsa fuit:

Vsq; adeo grata, ut nunquam requiescere possim.

Donec perspicias me tibi morigerum.

Crede mihi frater: si non fuerint mihi semper

Infensa Muse, Pieridumq; chorus.

Certe



*Certe aliàs ego Balbus eo contendere pacto,  
Ac Demosthenem eum si superare uelim;  
Qui primo Balbus, sed clarus postea Rhetor  
Factus erat, quo non clarior ullus erat.  
Aut si Stesichori uellem superare camænas  
Qui decus Ausonij creditur esse chori.*

## REVERENDO VIRO

*D. Bernhardo Schnurzio, I. V. Doctõri, & Ec-  
clesiæ Patauiensis Decano, Domino suo  
obseruandis: S. P. D.*

*Sæpe quidem nostræ tua limina adire camæna  
Tentabant doctis uir celebrande modis.  
Sed penitus nobis occasio nulla dabatur,  
Qua monstrante uiam, conueniendus eras.  
Nec sanè innatus pudor, atq; infantia lingua  
Conatus nostros impedière parum.  
Que quasi custodes, cura non deside, clausa  
Seruabant tecti limina docta tui.  
Atq; uiro tanto uersus obtrudere inertes,  
Dicebat magni criminis esse loco.  
Id postquam mecum recta ratione putassem  
Patendum rebar legibus esse Samij.*

*Eccce*

*Ecce autem (licet inuitus, nam uera fatebor)  
Mutauit mentem, consiliumq; meum.  
Namq; mihi subijt, quàm læta fronte quotannis,  
Audieris nostros uir reuerende iocos.  
Quando sales Plauti recitauius, atq; Terentij  
Ludos, te coram, Canonicisq; tuis.  
Insuper erga nos ut testarè re fauorem  
Humanum, nobis munera larga dabas.  
Hinc schola nostra tibi multum debere fatetur  
Se, & Mæcenatem te reuerenter amat.  
Quæ quanto luctu, quantoq; dolore tabescat,  
His elegis uoluit significare tibi.  
Qui quia cesserunt Musis, Phæboq; sinistro,  
Luctus, & magni causa doloris erit.  
Hanc à te ueniam postremam postulat, atq;  
Obsequium, indignis discriatiata modis.  
Christus te saluum uir præstantissime seruet,  
Et te clementer dirigat, ornet, amet.*

## AD D. CHRISTOPHO

*R V M H V B E R V M O E C O N O M V M,  
Tetrastichon scholæ, D. Nicolai  
extra mœnia Patauiaæ.*

*S I te Cænobij Rectorem fata tulissent,  
Talia non essent damna ferenda mihi.*

*D*

*Oeconom*

Oeconomus bonus es, dispensatorq; fidelis,  
Fieridesq; foues, & reuerenter amas.

A D D. KILIANVM MYSIVM  
eiusdem Scholæ Tetrastichon.

**T**V te discipulum, nostrumq; fateris alumnium  
Tu mihi iam dudum præficiendus eras.  
Præficiendus eras si fors magis æqua fuisset,  
Siqu; Mydas aures non habuisset vrs.

PRVDENTIBVS, ERVDITIS,  
humanissimisq; uiris, Ioanni & Theodoro Ferste-  
lio fratribus, amicis suis colendis,  
S. P. D.

**L**Inquere cum patriâ, Patauinâq; moenia uellè,  
Diues ubi Histrinæ Oenus audaget aquas:  
Hos nobis Elegos tristes peperere Camenæ,  
Et nostræ comites attribuere uia.  
Hi, quondam literis clari, & pietate Lycei  
Collapsi (infandum) tristia fata gemunt.  
Ipsa Scholæ casum Pallas deplorat iniquum,  
Mæstus & abiecta luget Apollo chely.  
Qualescunq; igitur fuerint uirtute celebres,  
Moribus insignes, ingenioq; uiri.

Vestrum

Vestrum erit hos uersus animis & mentibus æquis  
Accipere, & prorsum consuluisse boni.

Die 15. Nouembris, Anno 56.

A D MECENATES SVOS TE-  
trastichon Sophon: Pam.

**Q**Vandoquidem nobis nunc carmina læta nes  
Ingenio celebres, & pietate uiri. (gantur  
Accipite æquo animo quæ nobis mæsta Thaliâ  
Iamprimum mæstis carmina mæsta dedit.

A D REVERENDVM D. OSVAL-  
dum Villicum Antistitem Metenianum.

**A**Vdio te sacras nequaquam temnere Musas  
Antistes, nostris concelebrende modis.  
Hac fama motus te compellare uolebam  
(Quamuis incomptis) uersibus hysce meis.  
Scilicet ignoto ut mihi conciliare fauorem  
Curarent quadam sedulitate tuum.  
Quando uero, tibi quod forte placere putarem,  
Tempore præsentis nil mihi prorsus erat.  
Quæ scripsi patriam, Patauinâq; moenia linquens:  
Interea libuit significare tibi:

D 2 Donec

Donec erit nobis scribendi occasio maior.

Donec erit nobis dexter Apollo magis.

Hi uersus quondam florentis tristia fata,

Depingunt literis & pietate scholæ.

Hoc tibi si nostrum lugubre placere Poëma

Videro, tunc mittam carmina plura, Vale.

Anno 56. Mense Nouembri.

## AD AMICVM quendam.

**I**Lle tuus nos Zodaicus charissime Thefeu  
iuuit, & acceptus Syluius ipse fuit.

Verum quo pacto tibi dignas soluere grates

Posim, me sanè ducit in ambiguum.

Quod uero ad mores pueri attinet, ingeniumq;

Omne tibi studium defero sponte meum:

Nam tuus in me animus multò maiora meretur,

Quàm nostræ uires, offitiumq; ualet.

Viue, uale in Christo foelix cum coniuge casta,

Et Pàmingerum perge fouere tuum.

## ALIVD AD EVNDEM.

**V**T tibi sit tumidæ foelix incisio uenæ,

Vtq; tuum fugiant cuncta sinistra caput.

Vt

Vt Pylij uincas grandæui sæcula longa,

Vt ualeas annis uincere Mygdonium:

Id mecum Genitor, Genitrix, coniunxq; precatur.

Et uotis addunt hæc sua uota meis.

Vna quidem fuerat mens & sententia nobis,

Ædes hesternæ luce subire tuas.

Si non bis recitanda comœdia nostra fuisset,

Festâq; Bassareï concelebranda patris.

Sed neq; præsentem te luce uidere licebit,

In promptu causa est: copia nulla datur.

Namq; hodie natam despondet noster amicus

Christophorus: cui rei nos quoq; adesse cupit.

Cras autem medio cum Sol descenderit axe,

Et rursus partes uerget in Hesperias:

Tunc tua non tardi doctissima tecta petemus,

Tu nos tranquillo pectore suscipies.

Mittimus interea tibi blandi munera Bacchi,

Atq; ea quæ nobis protulit alma Ceres.

Te precor accipias à nobis fronte serena

Cum fuerint, dabimus, plura, plura tibi,

Anno 55. Die 4. Martij.

## AD EVNDEM.

**E**ST mihi nunc aius Gulielmū inuisere nostrū siarcha  
Verum iâ nobis non comes aptus adest.

D 3

Ergo censis.

Gulielm  
Hartelius  
Gymna

Christo  
phorus  
Collinus.

Fornp

Ergo tibi si illic fuerint qua negotia Theſeu  
Candide: te comitem protinus ipſe ſequar.

Annos 46

## AD EVNDEM.

**E**rgo ne iam rursus Theſeu doctiſſime linques  
In mœrore graui noſq; domumq; tuam?  
Ergo ne iam rursus peregrinas ibis ad oras.  
Et tua tot credes morbida membra malis?  
Non metuis ſæuos Piratas? nonnè latrones?  
Non metuis longæ mille pericla uiæ?  
Nunc Acherontigenæ dominantur ubiq; ſorores,  
Et toto Mauors regnat in orbe ſerox.  
Nulla fides, pietas iacet impietate ſepulta,  
Sæua chlamys colitur, ſed toga ſp̄reta tacet.  
Præmia uirtutis nunc auferet miles iniquus,  
Pierijs autem nullus habetur honos.  
Qui modo non cædes, periuria, furta, rapinas,  
Commemorare poteſt, prorsus habetur iners.  
Qui cicatrices oſtentat, & horrida bella  
Narrat: hic eſt ſolus dignus honore coli.  
Ergo quæſo mane nobiſcum tempore longo  
Manſure incolumis: te precor ergo mane.

AD

## AD IOANNEM AVER- pachium Galliam petiturum

προνεμπ̄τιδος.

**Q**vandoquidem mores Gallorū noſce laboras  
Doctorumq; optas ora uidere uirū:  
I pede ſœlici, uentis da uela ſecundis  
Aurpachi patriæ grande future decus:  
Æquorei ſœlix pete littora amœna Garunnæ.  
Aut Matronæ: fugiant te mala cuncta procul.  
Nunc æſtiua canis ſeruet, nunc Sirius ardor,  
Et fauces ſiccas, oraq; ſicca facit:  
Immenſum mare nunc dominantur in orbe malorū  
Et barathri tristes exiluière lacus.  
Ergo tuam ſubeat ne pigra obliuio mentem,  
Quæ noſtri memorem te minus eſſe ſinat,  
Fac ſemper uites ſontes ac flumina cuncta,  
Et potius Bacchi munere pelle ſitim.  
Ne caſu potes læthæi fluminis undam,  
Perturbetq; animum potio ſumpta tuum.  
Eſto memor ueteris, rogo, conſuetudinis: illud  
Te moneat noſtræ tempus amicitie:  
Quando te puerum docui, puer ipſe docendus,  
Ædibus in patrijs ſcandere uerſiculos.

D 4

AD

AD ERASMV M RO  
tenbuecherum Haureuterum

ſuum προπτερον τινος.

**D**ædala Musa patris dudū expectata Hymenæū  
Ecce venit referens dulcis Erasme tuum:  
Ergo animo placido accipias, & fronte serena  
Donec erit nobis dexter Apollo magis.

Quod tibi præterea cupit huius carminis Author,  
Quod petit, atq; optat carmine blandiloquo:

Georgius Id simili uoto, ac concordi uoce precamur.

Sella Scho. Tu clemens uotis annue Christe pijs.

le Lau- Quandoquidem uero patriæ nunc arua relinquis,  
rentianæ Et Norimbergæ moenia celsa petis:

Rector. Quando illic clarus uiuit mihi Sella superstes,

Vitus Ingenij Dux, & portio magna mei,

Theodor. Quem præceptorem dederat mihi Vitus habendū

Pastor Ec Vitus Christicoli duxq; decusq; gregis.

clesiæ Se- Tempore quo magna Kezmannus laude docebat  
baldinæ. Inchyta filiolos Noricaberga tuos.

Ioannes Hunc præcor accedas, saluereq; nomine nostro

Kezman- Multum præcipias, atq; ualere diu.

nus Sella Postremò precor ut tibi sint foelicia cuncta,

anteces & Vtq; tuum fugiant cuncta sinistra caput,

for.

Atq;

Atq; ut iter tantum ualeas absoluere foelix  
Et læta rursum fronte uidere tuos.

AD REVERENDISS.  
VRBANVM PRÆSVLEM GVR-  
censem Tekhendorfsum nauī præ-  
tereuntem προπτερον τινος extem-  
poraneum.

**T**E Christus saluum seruet dignissime Præsul  
Teq; suum fausto tramite ducat iter.  
Det tibi clementer quæ coelica uita requirit  
Commoda: nec noceant lubrica fata tibi.  
Vt Pylij ualeas absoluere sæcula longa,  
Et longos foelix exuperare dies.  
Hoc pariter mecum concordī uoce precantur  
Qui te syncerum dogma docere sciunt.  
Alite perge bona foelicibus utere fatis,  
Et Christi cura pascere rite gregem.

Anno 57. Die 16. Martij.

D. GVOLFANGO  
Stingelio, Antistiti Farnpacensi,  
Leonartus Paminger, S. D

D r

Cum

Stephan.  
Ferber  
Antistes  
Farnpau  
censis.

**C**um Stephanus fato cessisset nobilis Abbas,  
Tristia fundebat carmina nostra Chelys,  
Deplorans uirtute uirum, & pietate celebrem,  
Qui sacris Musis anchora sacra fuit.  
Verum ubi te successorem suffragia cuncta  
Monstrarent, multum concelebant Pater:  
Tempus erat partem nostri deponere luctus,  
Et tragicas uoces ponere tempus erat.  
Fertur enim sacris te non contemere Musas,  
Sed colere, & semper corde fouere pio.  
Ergo precor sumas hoc munus fronte serena,  
Quod peperit nuper nostra Minerva tibi.  
Sed forsitan dices, non cessit Apolline dextro,  
Verum: quæso tamen, sit uoluisse satis.  
Nam si forte magis Phæbus nos iuuerit unquam  
Confestim dabimus munera magna tibi.  
Christus homo, natusq; Dei te pneumate sancto  
Et tua cepta regat, quo sine nulla salus.  
Quo sine nulla salus, nulla est cognitio ueri,  
Nullaq; sperari uita beata potest.

**AD D. CHRISTOPHO-**  
**RVM STARL CLAVSTRONEV-**  
**burgensem Antistitem Leonartus**  
**Paminger.**

Munera

Munera quandoquidem nobis conferre quotannis.  
Larga soles, doctis uir celebrande modis:  
Mittimus ecce tibi munuscula parua uicissim  
Ne planè redeat gratia nulla tibi.

**AD EUNDEM IDEM.**

**E**cce tibi in morem rursus munuscula parua  
Mittimus, hæc nobis casta Minerva dedit.  
Quæ licet inferiora tuis sint munera longè,  
Sunt tamen nostri symbola grati animi.  
Symbola grati animi, mentisq; referre paratæ,  
Si quando saltem copia tanta foret.  
Ergo suscipias animo, uultuq; sereno.  
Donec te mittam munera digna magis.

**AD REVERENDVM**  
**AVGVSTINVM MVNICH RANS-**  
**houiani canobij Antistitem Mecænatem**  
**suum, Soph: Pam.**

**H**ÆC pie Mecænas, quæ iam munuscula nobis  
Musa patris peperit Dadala, mitto tibi.  
Mitto tibi non quod meritis (quæ plurima) possent  
Respondere tuis: copia nulla datur.  
Quod uè uirum magnum maiori munere dignum  
Ignorem: non hæc mittere causa fuit.

Verum

Verùm (qualiacunq; forent hæc) ut tamen illa  
Essent grati animi symbola certa mei.  
Propterea rogo suscipias ea fronte serena,  
Nam mihi si fuerint plura, plura dabo.

## AD D. LEONARTVM

Reyter Antistitem Subenianum.

**N**on equidẽ possum te non redamare uicissim  
Quandoquidem tanta nos pietate colis:  
Mittimus ergo tibo, peperit quæ nostra Minerva,  
Accipe tranquillo pectore, nosq; foue.

AD BERNHARDVM STRALL  
Antistitem Reychempergensẽ.

**T**V quoq; nos quondã sincera mente colebas,  
Antistes docto consociande gregi.  
Munera tu nobis non raro grata dedisti:  
Ergo pro meritis hoc tibi munus habe.

AD D. CHRISTOPHO-  
rum Collinum Mathematicum.

**H**os uersus, Colline rudes tibi mitto legẽdos,  
Munera nec dubito grata futura tibi.

Nam

Nam quamuis Phæbus mihi carmina docta negarit  
Atq; precẽ spernat turba nouena meas;  
Grata tamen tibi erunt quia magni Præsulis ama  
Nomimbus multis nobile nomẽ habent. (plum, et  
Absolui citius quàm forsã credere possis,  
Et certè fuerant absoluenda cito:  
Namq; instare mei discessus tempora nosti,  
Quæ res ingenti raro labore caret.  
Quin & nostra uia se accingit casta Minerva  
Vt mecum unã mox ingrediatur iter.  
Tu si forte tibi lectu haud indigna uidentur  
Curabis magnus Præsul ut ipse legat.  
Id quod perficies paruo mediante labore  
Cum te sincero pectore Præsul amet.

AD PRVDENTEM  
humanissimumq; uirum, Ioannem

Ortnerum Senatorem Schers-  
dingensẽ.

**N**estoreos uiuat foelix Ortnerus in annos  
Coniuge cum casta, pignorbibusq; suis.  
Id quod tota domus Pãmingeriana precatur  
Ortnero semper grata futura suo.

GRE,

# GREGORIVS VVAL-

*hausner ad suum Soph; Pamingerum,  
in quadam Epistola.*

*Anigma.*

**M**itto tibi nauem prora puppiq; carentem  
ET.

*Mitto tibi frontem ueneris, uentremq; Dianæ,  
Principium Lunæ, ac ultima membra Ranae.  
Solue mihi hoc ænigma & restitue  
ultimam penthametri syllabam.*

## ÆNIGMATICA RE, spongio Sophon, Pamingeri.

**T**v mihi misisti gratissima dona mehercle,  
Sed rogo ne spernas qualiacunq; dabo:  
Exortus Solis radios tibi mitto priores,  
Et faciem à tergo quam uaga Luna refert.  
Adde Helenæ uentrem gestantem cornua Capri,  
Hæc tibi spero quidem munera grata fore.

Anno 55.

## AD GASPAREM GENGELIVM Gymnastarcham Neapolitanum.

**Q**uod memor es ueteris dulcissime Gaspar ad  
*συμβολῶν* hoc nostri semp̄ amoriserit. (mici  
Impri-

*Imprimis tua scripta mihi iucunda fuerunt,  
His ego delector sepeq; lecta lego.  
Sed fortasse moram segnem mirabere nostram,  
Forsitan & dices: tardior unde uenis?  
Certè equidem fueram tibi respondere paratus,  
Confestimq; fuit scribere prompta manus:  
At me Sisiphij & duri impedière labores,  
Quos Tritonia me Musa subire iubet.  
Plura quidem fuerunt tibi nunc scribenda, sed illa  
Quæ te scire uolo proxima scripta dabunt.*

AD E V N D E M.

**D**enuo Gengelij te nostra Thalia salutat,  
Et ueniam nobis conciliare studet.  
Pone supercilium, tristemq; exporrige frontem,  
Nam posthac nunquam scribere tardus ero,  
Et non cessabo bibulam maculare papyrum  
Donec fungetur munere dextra suo.  
Sit modo dexter Apollo mihi sit dextra Minerua  
Conatusq; iuuet turba nouena meos.  
Insuper & noua si cupias cognoscere leta:  
Non est, quod possim scribere grata tibi:  
Tartaræ uolitant nunc undiq; nanq; sorores,  
Et sæui Martis tristia tela ferunt.  
Multa nephanda quidem patrauit Turcicus hostis  
Non tamen Ausonia est Sphinx metuenda minus.  
Epithala



EPITHALAMIVM SIG-  
 gismundi Kundlingerii Af-  
 finis sui.

**I**uncta Sigismundo Catherina est foedere sancto,  
 Ut fuit Abrahæ Sara pudica suo.  
 Christus coniugij mitis sacrator utrosq;  
 Perpetuò saluos incolumesq; regat.  
 Quod Pamingerij pariter, concentibus alter,  
 Alter uersiculis optat uterq; pijs.

Anno 53. Mense Februario.

AD STEPHANVM VO-  
 ghenriederum, Ranshouianæ  
 Scholæ Rectorem.

**Q**uo poteris studio mea nunc mandata faceſſe  
 Quæ tibi do manibus littera scripta meis.  
 Sebastia = Haud procul hinc urbs est doctorum nomine clara  
 nus Mauſ Braunau: quam gelidis præterit Oenus aquis.  
 rer. Re = Illic Theſpiades multa impartire salute,  
 ctor Scho Rectoremq; Scholæ belle ualere iube.  
 la Bruno = Mox lucum uiridem cernes hac urbe relicta,  
 uienſis. Quem studio magno turba nouena colit.

In quo Pierides ludentes ordine saltant  
 In numerum, doctus ducit Apollo choros.  
 Hunc saltans sequitur Musis stipata Minerua,  
 Et castum casto promit ab ore µλθ.  
 Tu tamen hæc cernens ne detineare cauebis,  
 Cantus, & lepidi capta lepore ioci.  
 Perge parum optatum littus tua cymba tenebit,  
 Teq; tuam cernes absoluisse uiam.  
 Hæc tibi nanq; domus turba pergrata Nouena  
 Ocurrerit studijs concelebranda pijs.  
 Hanc sibi Sicelides multis è millibus unam  
 Elegere domum, quam quoq; Phebe colis.  
 Hanc quia se sentit Pallas diuina foueri,  
 Hanc (inquam) refouet, curat, amatq; domum.  
 Sed tamen haud equidè inmerito: quia q̄so quis illic  
 In pretio Musas nesciat esse suos?  
 Cum tantus studiosorum pater, atq; patronus  
 Illius obtineat Sceptra decora domus.  
 Vix est qui sacras hac tempestate Camænas  
 Maiori studio protegat atq; colat:  
 Namq; suos neruos intendit ut adiuet omnes  
 Qui sacras literas cum pietate student.  
 Forsitan ille tamen non paupertate laborat,  
 Nec minuit partas, sed magis auget opes.  
 Diues enim Deus est largo cum fœnore reddens  
 His qui pauperibus munera larga ferunt.

Augusti-  
 nus Rans-  
 houiani  
 cænobij  
 Antistes  
 Pater &  
 Patronus  
 studioſo-  
 rum.

*Sic ex se laxos contexit Aranea casset.*

*Vt possit fructu commodiore frui.*

*O utinam liceat mihi dignas soluere grates,  
Et tanto semper complacuisse uiro.*

*O utinam uitæ mihi pars postrema supersit,  
Donec pro meritis digna referre queam.*

*Sed quò quæso feror? uerbis quid pluribus utor?*

*Quò rapior tandem uix memor ipse mei?*

*Cur me non reuocas ad iter mea chartula captum?*

*Quare non breuibus quæ uolo nosse cupis?*

*Tu tamen ut ueniam mihi des rogo: namq; studebo*

*Ne posthac longis detinere loyis.*

*Quocirca ueniens ad celsæ limina portæ,*

*Ad læuam nauis dirige uela tuæ.*

*Postea Germani (quamuis non sanguine) fratris*

*Volkenriedèri limina docta pete.*

*Huic te quo poteris studio insinuare memento,*

*Atq; illi coràm taliu dicta refer:*

*Vt foelix uiuat, cum prole, & coniuge casta*

*In Christo, nostri nominis usq; memor.*

*Imprimis autem supplex, humilisq; precare,*

*Vt uultu placido carmina nostra legat.*

*Scribere plura uelim, nisi nolim longior esse,*

*Aut turbare graues garrulitate uiros:*

*Turpe etenim fuerit, Cygnis si stridulus anser*

*Obstrepet. Haud raro non tacuisse nocet.*

*Tu (ne nostra suam transcendat Epistola metam)*

*Vale iterum, atq; iterum, tu mea charta Vale.*

## AD DISCIPVLOS SVOS,

à studijs Relaxationem petentes.

**Q**uæ uerbis monui, scriptis repetenda uidentur  
Ut memor offitij quisq; sit usq; sui. (tur.

Noui etenim, quosdam duris seruis Alumnos.

Esse scholæ nostræ, morigerosq; parum.

Quos equidem perfricta nimis frons (credite) tan-

Ballet, cum fuerit pœna luenda malis. (dem

Premia digna probos, peruersos pœna sequetur.

Nam nostram uolumus labe carere scholam.

Non temerè antiquum morem damnare solemus.

Quem tamen haud raro damnat abusus iners.

Sic uos si monitis non auscultabitis, iste

Mos (licet antiquus) reiiciendus erit.

Sed quid uos deceat, uel quæ sit nostra uoluntas

Hæc breuibus uobis iambica nostra dabunt.

## HEXASTICHON

AD EOSDEM.

**P**osthabitos iterum nunc continuabo labores,  
Morbo propositum non remorante meum.

E a Gratia

*Gratia sit Christo miseros qui respicit, atq;  
Fert tristi semper tempore mitis opem.  
Ad studium uero mentes, animosq; parate  
Vestros: & uestris consulite ingenijs.*

**AD ANTISTITEM**  
Ranshouianum, Mecœ-  
natem suum.

**N**ostra tibi pie Mecœnas gratissima quondã  
Musa, uenit repetens limina nota prius.  
Accipias igitur clemens & fronte serena,  
Qualiacunq; modo dedicat illa tibi.  
Ne spernas ideo quia sunt chartacea dona,  
A nobis mitti nil nisi charta potest.  
Postremo precor omnipotens, ut tempore longo  
Consesuet nobis te Deus incolumem.

**AD QVENDAM AMICVM.**

**Q**uod scribis me, nescio qua uirtute celebrẽ,  
Laus magis ingenio competit ista tuo.  
Rarum equidem fuerit, nec non mirabile uisu,  
Si quando ex Musca feceris Anguimanum.

*Crede*

*Crede, precor, me nosse mihi quã curta supellex  
Sit: nam sepe meo metior ipse pede.  
Non igitur titulos mihi conscius arrogo tantos,  
Sufficit & doctis complacuisse uiris.*

**AD IOANNEM RVED**  
PATAVINI ANTISTITIS SCRIBAM  
Iudiciarium in arce superiori (uulgo)  
Oberhaus.

**Q**uod tua non prodit nostris cũ uersib. Echo  
(Echo, quam nostri pignus amoris habes)  
Non ideo factum dulcissime Ruede putabis,  
Quod te non firmo pectore (ut ante) colam:  
Sed quia non potui prolixum absoluere carmen  
Quandoquidem tantum sedulitatis amat.  
Absoluam uero, si uitæ stamina Parca  
Longius extendent (numina seu) meæ.  
Plurima sunt quæ non modo diuulgare licebat,  
Prodibunt autem tempore cuncta suo.  
Echo plura mihi (fors & maiora) loquetur,  
Quæ tibi confestim significabo, Vale.

**AD MATTHIAM DVCEM GYM-**  
nasiarcham Reychenpergensem.

**A** Me promissum munus dilecte *Mathia*  
Hac precor accipias, qua tibi mente dedi.  
Et quia magna mihi *Rhamnusia* dona negavit:  
Sit nostræ certum pignus amicitiae.

IN MUSICAM PARENTIS  
Tetrastichon.

**V**T tibi nota fiet dulcis *Symphonia* cantus,  
Hunc manibus semper uolue reuolue librū  
Hic præcepta tibi docta atq; breuissima tradit,  
Quamuis sit paruus, non tamen arte caret.

SVBITÆ INVNDATIONIS  
DESCRIPTIO.

**P**ost *Saluatorem* natum ter secula quinq;,  
Et post lustra decē, primus cū uoluitur annus  
Eis nono, & quinto *Augusti*, tumet *Oenus* & *Ister*  
Agros euertunt, & moenia firma fatigant.

DISTICHON  
In sententiam *Hesiodi*.

Ἡδὲ κακὰ βέλῃ τῶ βελύσσων  
τὶ κακίσῃ.

IN

**I**N propriū plerumq; caput mala uota redundāt  
Authoriq; suo maxima damna ferunt.

ALIUD.

NON CREDENDVM  
CVI VIS.

**C**vi credas perpende prius non deside cura,  
Præstat enim interdū non habuisse fidem.

EPIGRAMMA IOACH:  
HELLERI CVM EFFIGIE  
sua *Leonarto Pamingero*  
missum,

**I**Procul *Austriacas* pro me leuis umbra sub oras  
Ad *Pamingeri* lumina docta senis.  
Illius uultum pro me reuerenter adora,  
vt faueant, opta, fata benigna uiro.  
Ac mihi, si fieri poterit tam fiat amicus  
Quam fuit *Aonidum* carus uterq; choro.  
Carus erat *VITO* dum *VITO* uita manebat  
Ad me ius ueteris transit amicitiae.

Vitus  
Theodo.

E 4

IN RUS.

# IN ORACVLVM: SVB

hoc signo uince, Ioach: Hellerus.

**P**ro Domino si bella Deo, & uictoria signa  
Quæritis ô Reges, signa subite crucis.  
Sub qua uicerunt sancti foeliciter hostem,  
Sub cruce, qui certas uincere, uince Deo.  
Hæc pia militia est, & ut est pia subijcit hostes.  
Et statuit summo grata Trophæa Deo.

# IN LVDVM LITTE- RARIVM LEONARTI PAMIN- geri Præceptoris olim sui chariss: Michael Vvandl.

**A**rtibus ut belli, quondam repleta Quirini  
Nobilis urbs uarijs undiq; uisa fuit.  
Vt fuit instructus uario certamine campus  
Qui seui dictus nomine Martis erat:  
Sic quoq; præsentem cuncti florere uidetis  
O dulces nati multi iuga arte scholam.  
Huic hodie ludo celebri uos quotquot adestis,  
Viuerè foelices terq; quaterq; puto.  
Tu modo nec differ, uerum studiosus adesto  
Nunc, hic atq; puer paruule disce libens.

NON

Non ego te inæbeo uarias inuisere gentes,  
Nec miseram uitam perpetiare uolo.  
Rerum si quæ tenet puerum te cura bonarum,  
Consultum studijs si cupis esse tuis,  
Si cupis & claris splendescere moribus olim,  
Artibus egregius si cupis esse bonis,  
Si cupis ut sit apud doctos tibi gloria multa,  
Principibusq; uiris complacuisse queas:  
Protinus ingredere et mox hunc amplectere ludæ.  
Huc audus propera, ser celeresq; pedes.  
Artes hic puerum uiuit me discere primas,  
Hic balbum placuit osq; docere meum.  
Hic, (decimus quondã cum me iam tangeret annus)  
Huic datus est locus & contigit ingenio.  
Si quid & in nobis doctrinam hanc posse putatis  
Quam rude iam nostrum sustinet ingenium.  
Id totũ huic refero certè (et mea scripta loquũtur)  
Acceptum, & referam tempus in omne scholæ.  
Proinde puer si tu me iucundissime longis  
V sibus edoctum credis habere fidem,  
Quamprimum teneris pedibus Talaria subdas  
In doctam & properes hanc reuolare scholam.  
Huc uemes errans, ulla nec præditus arte  
Qui fueris (hinc mox doctus abibis) iners.  
At nunc in longum ne crescant carmina nostra  
Desino tu foelix Lector amice, Vale.

B s

Hexastis

## HEXASTICHON FRIDERICI GRIENVVALD, DISCIPULI Soph: Pamingêri, Ad Iacobum Leymnizerum, & Michaelem Puechpergerum, condiscipulos suos.

*Quod fortuna negavit ingenio com-  
pensandum est.*

**C**vi fortuna aurum, formã, roburq; negavit,  
Ingenio reddat dona negata sibi.  
Hoc uero ut possit, super omnia cunctipotentem,  
Deuota Dominum mente subinde colat.  
Exin non cesset doctos euoluere libros,  
Tunc diues, fortis, tunc speciosus erit.

**DISTICHA QVÆDAM  
EIVSDEM FRID: GRIEN: AD  
eundem Iacobum Leymnizerum, & Mi-  
chaelem Puechpergerum condisci-  
pulos suos.**

**MORES RESPONDEANT  
DOCTRINÆ.**

**Q**uid prodest artes magno didicisse labore,  
Si non compositis moribus ipse nites?

STVDIVM

STVDIVM NON EST  
DIFFERENDVM.

**Q**ui teneræ studium differt in flore iuuentæ,  
Non bibet è Charitum fontibus ille senex.  
**IGNAUI NEGLIGVNT DOCTOS.**

**I**ngenio magnos, animoq; ignobile uulgus  
Nunquam non spernit, persequiturq; uiros.  
**RES DIV NON DVRAT SI  
sumptus quæstum superant.**

**R**es ingens poterit nunquam consistere lōgē,  
Cum superat quæstum sumptus ubiq; suū.  
**MVSICA MATER PAVPERVM,**

**M**vsica nudatos de coeno tollit egenos,  
Et quasi fida parens sustinet atq; fouet.  
**STIMVLO HAVD OPVS  
currentibus.**

**I**gnauus flagris merito cædetur amaris,  
Currenti uero non opus est stimulo.

**Finis Elegiarum & Epigram-  
matum Sophoniæ Pa-  
mingeri,**

LIBER

LIBER FV=  
NERVM ET LYRI  
corum Versuum, Sophoniæ  
Pamingeri.

ORNATISSIMIS, HV  
MANISSIMISQVE VIRIS. D.  
Ortholpho Fuxpergero Syndico, & M. Iohanni  
Kappenstill, Archigrammato Reipub: Pataviens  
is, Dominis, amicisq; suis perpetuo colen  
dis. Sophonias Paminger,  
S. P. D.



VOTIES VIRI ORNA  
tissimi benevolentiam, humanita  
tem, studiumq; quo uterq; me, pa  
rentem meū charissimum, totamq;  
nostram familiam prosequutus est.  
consydero, uehementer sanè & gaudeo & doleo  
simul: Gaudendi ipsa uestra mihi humanitas am  
plam suppeditat copiam, felix enim is mihi uide  
tur, qui tantis uiris, utpote totius Ciuitatis lumini  
bus (absit Gnatonismi suspitio) complacet, felici  
cior

PRÆFATIO.

cior qui eorum benevolentia, humanitate, consilioq;  
fruitur, felicissimus deniq; quem in album suorum  
amicorum scribere dignantur. Quæ quidem omnia  
mihi, quamquam ingenio longè inferiori, contigisse,  
multis argumentis, testimonijsq; persuasum habeo,  
qui tot annos uestra humanitate adeo sum fretus fas  
miliariter: siue enim (tunc cum admodum essem  
adolescens) parentem comitatus, siue ab eo missus  
uos conueni, tanta me humanitate & studio exce  
pistis, tam familiariter mecum confabulati estis,  
ac si ualde essem idoneus, qui ad tantorum uirorum  
colloquium admitterer. Hac uestra erga me hu  
manitate, ut uos & sæpius, & maiori audacia, se  
rijs quoq; negotijs Publicis priuatisq; occupatos  
importunius nonnunquam accesserim, effecistis,  
uobisq; quasi spontaneam accersiuistis molestiam.  
Parens autem meus dulcissimus, senex ueneran  
dus, quem Christus mihi saluum & incolumem con  
seruet, perturbationibus ac ærumnis (quibus quasi  
ad miseriam natus esset subinde affligitur) penè  
sepultus, quoties capiendi consilij solatijsq; gratia  
uos ceu Pyladea sibi amicitia iunctos accessit: Dij  
boni quam fronte læta, hilariq; uultu plerunque à  
uobis reuersus est? omnia uobis arcana commisit, &  
committit. In medijs perturbationum fluctibus ses  
cundum

PRÆFATIO.

eundem Deum ad uos tanquam ad sacram (ut dicitur) anchoram confugit, & plerunq; uoti compos redditur: Nam si non in uniuersum animi perturbatio consilijs uestris tolli potest, tamen magna ex parte leuatur. Hinc rectè dixisse mihi uidetur, quisquis Græcum illum senarium in medium protulit: ἑρπυ ἀλυσθῆς ἐστὶν ἢ συμβουλία, magna enim uoluptas est & doloris mitigatio in rebus aduersis apud fidam amicum conqueri, in sinum illius quicquid in animo ægrè est effundere, & ab eo quomodo aduersam fortunam uincere possit consilium capere, quandoquidem ut Comicus ait: Rectè cum ualemus recta consilia ægrotis damus.

Ex animo igitur (inquàm) quoties hanc erga nos uestram reputo beneuolentiam, gaudeo. Quando autem mea erga uos æqua lance perpendo obsecra quia dis διαφωνία à uestris discrepantia, uideòq; mihi tantorum uirorum dulcissimam conuersationem ob loci intercapedinem, cum omni facultate declarandæ uicissim promptitudinis animi mei ademptam, gaudium illud in dolorem, animiq; molestiam protinus uertitur. Nec enim quicquam mihi unquam magis fuit in uotis, quàm ut omnibus de me bene meritis cum quodam scenore talionem reddere possim, Et si uero me & ingenio, & facultati-

bus

PRÆFATIO.

bus longè inferiorem uideo, ne tamen uestræ erga nos beneuolentiæ & familiaritatis dulcissimæ pariter immemor esse uiderer, hoc chartaceo, exiguo & leuidensi munusculo meam regratificandi uolui significare promptitudinem: Non quod tantos uiros maiori munere dignos nesciam, sed quia quaecunq; testimonium mei erga uos animi uicissim extare uolebam. Vestrum erit hos meos uersus eo quo hætenus me prosequuti estis animo accipere, & ἵνα ἴδῃτε ὅτι οὐκ ἐστὶν ἄλλο, & sicut mola tantum salsa litant, qui Thura non habent, ita nos quoq; pro nostris opibus construimus mœnia. Quod si hanc (ut spero) meam opellam gratam uobis intellexero, Zoulorum calumnias ne ἔγωγε quidem fecero, sed tanquam è sublimi deridebo, mediumq; monstrabo unguem. Bene & foeliciter ualete in Christo Iesu Domino ac seruatore nostro, et familiam Pamingeria nam amare pergite. Ex Museo nostro Tendorffino, Anno 1557. Mense Augusto.

LIBER



**LIBER FVNERVM  
ET LYRICORVM VERSVVM,  
Sophoniæ Pamingeri.**

**EPITAPHIVM BALTHASERIS  
Pamingeri fratris sui Charissimi.**

**Q**ui transis paulum queso subsiste uiator,  
Nostrâq; sincêra carmina mente lege:  
Condita Balthesaris Pamingeri ecce sub isto  
Cessite gramineo membra sepulta iacent.  
Qui puer ingenij superabat acumine cunctos  
Æquales studijs deditus usq; bonis.  
In quibus usq; adeo teneris perfecerat annis,  
Vt doctorum in se uerterit ora uirum.  
Vndecimum uerè simul ac compleuerat annum,  
Eheu quàm dira sternitur ipse lue?  
Corporis ipsa etenim putri stillantia tabo  
Membra recusabant munus obire suum,  
Idcirco ueluti captus, quocunq; locatur,  
Hoc ipso solo cogitur esse loco.  
Scinditur alter pes, cranium corrumpitur, atq;  
Si spectes miserum, Lazarus alter erat.

Non

Non latum culmum creuit quo tempore morbi  
Seuitem tantam ferre coactus erat:  
Naturalis enim uis à lue uicta iacebat,  
Nec poterat rarus membra fouere cibus.  
Hæc mala cuncta tamen bis senos fortiter annos  
Sustinuit, Christi diuite nixus ope.  
Musæ delicias tantum tribuere misello,  
His miserum tempus fallere suetus erat.  
Nunc autem tecum languoris totius expers  
In uita æterna Christe benigne uiget.  
Hæc recitanda tibi fuerant dilecte uiator,  
Ne rogo, te pigeat, pœniteatue moræ.  
Balthesar humane admoneat te conditionis,  
Sit fragilis uitæ semper imago tue.  
Balthesaris demum dic, molliter ossa quiescant,  
Et dextro rursum numine perge, Vale.

**VIATOREM BALTHE-  
sarís Genius alloquitur.**

**D**isce meo exemplo sauos perferre dolores  
Fortiter in Christo, qui mea busta uides  
Aspice me quisquis morbos fers, atq; tulisti,  
Te penitus dices nil tolerare noui.

#

Sic

Sic quicunq; cupit cœlestia regna uidere,

Cum Christo debet multa sinistra pati.

Obijt in uera agnitione Misericordiæ Dæ

propter Christum, Anno 46. Die 23.

Ianuarij. Anno ætatis suæ 24.

## EPITAPHIUM D. RE

uerendi Valentini Gottingeri Præ  
positi, Mecanatis sui.

**P**repositus post fata Valentinus nequiescit.

In Christo, lapis hic frigidus ossa tegit.

Dena suæ qui lustra impleuit tempore uitæ.

Quo natus fatis unus eratq; dies.

Doctus erat, doctos fuit, sacrasq; Camenas,

Et coabit Christum, sanctaq; iussa Dei.

Obijt Anno 47. Die 13. Februarij, eodem

uidelicet quo erat natus, Anno

ætatis suæ 50.

## EPITAPHIUM D. PETRI APIANI

Mathematici clarissimi.

**S**reniquam seuæ didicissent parcere Parcæ,

Parfissent equidem magne Apiane tibi.

Si lachrymis flecti didicissent ferrea fata,

Non tua membra putri deprimerentur humo.

Quæ

Que spernit mundus sanctissima dogmata Christi

Semper eras promptus corde sruere pio.

Terrarum finis radio describere noras.

Nec non stelligeri sydera celsa poli.

Humanus, clarus uirtutibus ingenioq;

Festiuus, solers, atq; disertus eras.

Nunc autem leges fatorum passus acerbas,

Hac tumulatus humo uermibus esca iaces.

Æthera signiferum lachrymis Vrana replet.

Euterpe stendi nescit habere modum.

Te lugent quotquot trahit ingeniosa Mathesis.

Te luget docti docta corona chori.

Herodes multi te magnatesq; reposcunt.

Et tua turbato pectore fata serunt.

Si pretio posset redimi tua uita: nec auro.

Nec gazis Casar parceret ipse suis.

Nunc autem Regis Regum sublatus in Aulam

Cum Christo foelix, atq; beatus ouis.

Sydera quæ quondam sursum obseruare solebas

Doctæ; cuncta tuos conspicis ante pedes.

Obijt die 21. Aprilis, Anno 52:

Soph. Pam. A. E. G. E. F:

## EPICEDIVM AGNE

tis filiola, Patavia in cœmiterio, D. Nico

lai sepulta.

F 2 1sta

Carolus  
V. Romæ  
Imperator.

**I**sta Sophoniæ Pamgëri ex matre Rosina  
Filiolam Agnetem continet urna breuis,  
Tres noctes uixit, ter Phæbi lumina uidit,  
Nunc autem fruitur lumine Christe tuo.

Obijt Anno 52. Die 24. Octobris.

**IN TVMVLVM RE-  
VERENDI DOMINI STE-  
PHANI FERBER ABBATIS FARNPACENSIS, di-  
stichon annum quo decessit literis  
numerum significantibus  
exprimens.**

**SVb tVMVLo hoC CLarI VIRTutI-  
bVs, IngenloqVe  
AbbarIs STEPHanI VIICera, & ossa  
CVbant.**

Sophon: Pamin. f:

**ALIVD IN TVMVLVM  
EIVSDEM.**

Vt

**Vt graVIS oCCVbVIt STEPHanVs VIt  
tVtIbVs Abbas:  
CænobII ForMpaCh Vera Corona  
perIIt.**

Guilielmus Hartelius scholæ  
ibidem Rector. G. E. F.

Obijt in inuocatione filij Dei & spe uitæ sempi-  
ternæ, Anno 53 Die 19. Iunij.

**ALIVD DISTICHON**  
Annum fatalem Reuerendiss: Præsulis Patæ  
uni exprimens.

**SaLMIaCæ gentIs VVoLfgangVs  
gLorIa PræIVL  
HIC CVbat, atqV è parens Vrbs Pa-  
taVIna tVV.**

Obijt in spe resurrectionis mortuorum & uitæ  
sempiternæ, Anno 55. Die 6. Decembris.

**EPITAPHIVM ISAL-  
dæ filiolæ Tekhendorffi sepultæ.**

**H**ic Isalda cubo Pamgëri ex matre Rosina  
Nata, meos artus hæc breuis urna fouet.

E 3 Vix

Vix annum impleram cum mense, nouemq; diebus.

Cum uitæ rupit stamina Parca meæ.

Sed nunc cum Christo seuos perpeffa dolores

Angelicis foelix addita uiuo choris.

Obijt Anno 56. Die 16. Nouembris.

## EPICEDIVM ISALDÆ

VIRI CLARISSIMI HVMANIS-

simiq; M. Ioan: Kappensill, Archigram-  
matai Patavini Vxoris ho-  
nestissimæ.

Vxor maritum alloquitur.

**F**Vnera cur desles mea mi charissime coniunx  
Cur toties lachrymans hæc mea busta petis?  
Id quod naturæ debebam soluere solui.

Et nunc æterno lumine læta fruor.

Hæc pompam, ex fastus immundi rideo mundi  
Iuncta Dei nato, cœlitibusq; choris.

Hæc ubi uos rursum post ultima fata uidebo

Filiolas, matrem, teq; patremq; meum.

Ergo per Isaldæ te magnum obtestor amorem,

Dulcia per nostri uincula coniugij.

VI

Vt te desistas mæstis macerare querelis,

Et mea tranquillo pectore fata seras.

Obijt in spe resurrectionis & uitæ sempiterna  
næ, Anno 57. Die 25. Februarij.

## EPITAPHIVM ILLV-

STRIS AC GENEROSÆ DOMINÆ

Dominæ Elizabethæ comitissæ à

Salmis, illustris ac Generosi D. Adæ Hoffmann

Baronis in Gruenpuhl & Strechau, Aule prouin-

cialis Præse si Ducatus Stiria, Regiæ Ma-

iestatis Consilij, coniugis

laudatissimæ.

**Q**uis gemitu tristes, lachrymas q; sistat acer  
Quis uic queat luctu dissimulare grauè (bas  
Quandoquidem tanta est seu uolentia futi

Quandoquidem inuida mors optima q; rapit

Quæ nec uirtutes, nec dotes respicit ullas,

Nec ueræ curam nobilitatis habet.

Abtulit illa modo generosam namq; Matronam,

Lumen honestatis, fœmineumq; decus.

Quæ fuerat coniunx magni dilecta Baronis

Hoffmanni, atq; domus filia Salmiacæ.

Hæc ut prole suum pulchra Dominû exhilararat,

Faucos post soles (pròh dolor) occubuit.

F 4

Line

Hinc lugent matres, lugent iuuenesq; senesq;  
 Et duplicat gemitus indiga turba graues.  
 Semper enim Christum puro dilexit amore,  
 Et coluit summi iussa beata patris,  
 Comis erat, facunda, humilis, mansueta, pudica,  
 Verax, & sapiens, iusticiaq; tenax.  
 Insuper atq; inopum mater celebrata, subinde  
 Pauperibus leta munera fronte dabat.  
 Corde pio Christi sanctissima uerba serbat,  
 Quae uita monstrant, atq; salutis iter.  
 Propterea cultus est detestata prophanos,  
 Quos hominum finxit uana superstitio.  
 Solius Christi meritis est nixa cruentis,  
 Et statuit meritis praemia nulla suis.  
 Hac fide in extremo se sustentabat agone,  
 Et sua constanti pectore fata tulit.  
 Nunc autem tecum uiuit mitissime Iesu  
 Atq; tui regni gaudia sancta uidet.

Obijt in spe resurrectionis & uita semper  
 piterna. Anno 57. Die 18. Martij.

EPITA

EPITAPHIUM,  
 Oder Grab schrift der  
 wolgeborenen Frawen/ Fräwen  
 Elisabeth/ geborne Gräfin vñ Salm/  
 Herrn Hoffmans Freyhern zu Grün-  
 publ/ vñd Strehan Erblands Hoff-  
 maisters des Fürstenthumbs Steyer/  
 Röm. Kön. M. Rath/ gewesener Ge-  
 mabel/welche gestorben ist Pfing-  
 stags nach Reminiscere  
 in der Fasten.  
 1557.

Durch den Edln vñnd  
 Vesten Sebastian Tobner/ Her-  
 ren Hansen Hoffmans des ältern  
 Vogt verwalter/ zu Welf/  
 Teutsch gemacht.

Ach Gott wer soll nit billich klagen  
 O wer soll nit aller welt sagen/  
 Den vnuersehen ellenden todt/  
 Den grossen jamer/ ellende noth/  
 § 5 Der

Der wolgebornen furtrefflichen frauen  
 Der tugendt zucht man soll anschawen/  
 Ein beyspill vnd exempel geben  
 Allen weybs bilden/das merck't eben/  
 Ein Gräfin von Sallm was sie von gschlecht  
 Ir ehliche/doch vnglückselige trecht/  
 Damit sie iren Herzen erfreudt/  
 In der kindpeth ein kurze zeyt/  
 Hat sie vollfür't/ist gestorben gar  
 Ein grosse klag bey allen war/  
 Darumb das sie ist globt vnd geehrt  
 Gotsfürchtig/frumb/aller ehren werdt/  
 Demütig gerecht vnd weyß  
 Freuntlich mit reden/des het sie preys/  
 Vnd sucht den glimpff bey yederman  
 Darumb jr meniglich güts gan/  
 In rechter lehr/ heyliger Schrifft  
 Hat sie gehabt fast guten bricht/  
 Allein durch Christum gnad gefucht/  
 Das Abgöttisch leben alls verflucht/  
 Ein mütter der armen war sie genendt  
 Nam ein verstendigs Christlichs endt.

AD PA

AD PARENTEM SVVM DVL  
 cissimum, de obitu Agnetis matris suæ charissime,  
 Epistola consolatoria, Obijt Annos 7.  
 Die 19. Aprilis.

**I**N quo uerferis Genitor charissime luctu  
 Matris ob occubitum, me dolor ipse docet.  
 Nam ueluti uitæ sociam fidamq;, piamq;  
 Occubuisse doles, præsidiumq; tuum,  
 Præsidium atq; agræ solamen dulce senectæ,  
 Solamen uitæ, pectoris atq; tui  
 Sic dulcem matrem meritò mihi lugeo ademptam,  
 Quam tenuit nati tam pia cura sui.  
 Quæ reliquas semper conata est uincere matres,  
 Pignoribus rectè prospiciendo suis.  
 Quam non ærumna, non poenituère labores,  
 Quos nostri studio ferre coacta fuit.  
 Propter nos etenim (sua propter pignora chara)  
 Solliciti semper plena laboris erat.  
 Innumeras curas uoluebat pectore, Natis  
 Ut possent rectè consuluisse suis.  
 Hinc (quod præcipuum est) cura non deside nobis  
 Monstrauit summi iussa tremenda patris.  
 Monstrauit Christum, monstrauit gaudia uitæ.  
 Æternæ, & patriæ commoda sancta nouæ.

Quid

**Q**uid uerò referam cunctas incommoditates,  
Quas nostri causa ferre coacta sunt?  
**Q**uid referam multis solita & communia matrum  
Obsequia in natos & benefacta suos?  
Singula namq; mihi longè inferiora uidentur,  
Quam quod digna amplis laudibus esse rear.  
**Q**uando meæ matris magnos perpendo dolores,  
Ærumnas, curas, atq; laboris onus.  
**Q**uod nostri studio suscepit sponte ferendum, &  
Pertulit innumeris exagitata modis.  
**H**æc (inquam) quoties mecum perpendo, dolendi  
Materies animo nascitur ampla meo.  
**I**nsuper & soporol, naturalesq; recusant  
Affrictus, luctum dissimulare grauem:  
**Q**uando uerò statum nostræ considero uitæ,  
Subdita quæ tantis cogitur esse malis:  
**P**aulatim nimius è pectore pello querelas,  
Et luctus sano uulnera sæua mei.  
**H**æc ratione uelim nimium te pellerè luctum,  
Et melius canis consuluisse tuis.  
**Q**uantis ærumnis hæc præsens uita repletur?  
Quam multis premitur (proh dolor) usq; malis?  
**H**ec mihi quam misera est? quantis subiecta periculis?  
Quot morbos? quantum, quæso, laboris habet?  
**Q**uot sicut angores? quot scandala? & anxietates?  
Quot mala coguntur pertolerare pij?

Namq;

Namq; ut præteream miserandæ incommoda uitæ,  
Atq; mea tantum de genitrice loquar:  
**A**n non humanas dicemus uincere uires  
Quæ passa est tecum tempore coniugij?  
**V**ester ter denos, atq; annos circiter octo  
Permansit casto castus amore torus,  
**T**e Dominum semper, patremq; uocare solebat,  
Semper & est animo te uenerata pio,  
**M**utuo te coluit, taliq; afficit honore,  
Qualis coniugij uincula sancta decet.  
**N**ullaq; postremo discordia, nulla similitas,  
Iurgia nulla inter uos habuere locum:  
**M**utua sed semper pax, & dilectio, nec non  
Obsequia inter uos mutua semper erant,  
**A**tq; adeo ut merito coniunctis iure iugali  
Viuenti talem profit habere typum.  
**U**t merito placidam dicatur uiuere uitam  
Quisquis coniugij commoda tanta uidet.  
**Q**uod uero ad casus uitæ præsentis acerbos  
Spectat, quid taceam nescio, quid uè loquar.  
**S**ic penitus nemo est ex omni parte beatus  
Dum putridæ clausus carcere carnis erit.  
**S**ed ne detineam te longo Syrmate: paucis,  
Quæ de matre mihi sunt recitanda, loquar.  
**I**lla mihi fratres binos, quatuorq; sorores  
Protulit in lucem, pignora chara tibi.

Fin

Sigismundus  
Paminger.

Es quorum numero est minimus, uiuitq; superstes  
Frater, de quo nos spes animosa tenet.  
Sed reliquos seuæ fatorum numine Parcæ  
Eheu quàm nobis eripuerè cito.  
Quorum obitus quantum matrisq; tibiq; doloris  
Attulerit, quisnam queso referre queat?  
Corporis atroces, quos pertulit, ultrò tacebo  
Languores, morbos, atq; doloris onus.  
Namq; nimis longum fuit si singula uellem  
Dicere, nec sane possibile esse reor.  
Idcirco tantum senos, quos pectore morbas  
Sustinuit breuib; commemorare libet.  
Balthesari ingenio nos inter primus & annis  
Num uestris rugis infima causa fuit?  
Qui cum uix certis terram signare ualeret  
Plantis, & matris uerba referre puer:  
Tantus erat feruor discendi, tanta cupido,  
Ut literas citius nouerit, atq; loqui.  
Grammatices præcepta puer callebat ad unguem,  
Et gracili doctum uoce sonare  $\mu\epsilon\lambda\theta$ .  
Sicq; patris semper pendebat ab ore docentis,  
Ac si fors esset non memor ipse sui.  
Quod mihi ut exemplum plerunq; referre solebat  
Ad studium quoties proliciendus eram.  
Quàm uos decepit miseri concepta parentes  
Spes, quæ prima adeo splendida fronte fuit.

Quàm

Quàm uos decepit pueri solertia fallax,  
Profectus præcox, ingenijq; uigor?  
Bis senes etenim nondum compleuerat annos,  
Cum spes augurio fallitur ipsa suo.  
Et uestra in tragicos uertuntur gaudia luctus,  
Et pueri subito flosq; decusq; perit  
Incidit in morbum, medici accerfuntur, et adfuit  
Atq; (sed in cassum) pharmaca multa parant.  
Producunt morbum, diuersaq; nomina fingunt,  
Atq; auidi in lucri spem melioris hiant.  
Dumq; student præde, radices protinus altæ  
Morbus agit, uincit pharmaca sancta lues.  
Eheu quàm subito totius corporis ipse  
In tabem succens uertitur & sanies  
Eheu quàm subito, cunctos crudeliter artus  
Morbi seuities obruit atq; dolor?  
Languida membra quidem uix ægris osibus hæret,  
Et solitum renuunt munus obire suum.  
Nerui utrunq; pedem constringunt ulcere plenum  
Sæuo tæbe fluunt brachia, crura, caput.  
Et remouere pedes frustra quocunq; locatus  
Nititur, in summa, Lazarus alter erat.  
Cuncta sinistra tamen constanti pectore uicit,  
In Christo statuens magna Trophæa sibi.  
Quisquid eum uidit denos uix esse putabat  
Natum amicos, talis corporis ævis erat.

Vtq;



Vsq; adeo fuerat crescendi nulla facultas  
 Sic quoq; naturam uicerat ipsa lues.  
 Nil præter Christum penitus solatij habebat,  
 Cuius perpetuo sollicitabat opem.  
 Musis se se oblectabat, multosq; magistros  
 Delicias solos credidit esse suas.  
 Multa etiam scripsit prosa & sermone ligato  
 Quæ studium fortis, ingeniumq; probant.  
 Harmonias multas, Hymnos totius & anni  
 Composuit quatuor uocibus, atq; tribus.  
 Temporis in puncto numeros collegit in unum  
 Omnes, & nouit sidera celsa poli.  
 Inde genu supra fractus pes demitur alter  
 (Pròh dolor,) & foedis uermibus esca datur.  
 Tanta mali rabies, & tanta potentia morbi,  
 Tam magna infandi uis cacòethis erat.  
 Postremo eranium morbi consumit acerba  
 Senectus: pulsant ultima fata fores.  
 Sic eger tanto traduxit tempore uitam,  
 Quanto fatorum numine sospes erat.  
 Hei mihi quot tragicos annos, mensesq; tullisti?  
 Quantum erat uester nocte dieq; dolor?  
 Humanae uires num tantos uincere possunt  
 Luctus? & tantum pertolerare mali?  
 Immatura uolens Regine, & fata Benigne  
 Prætereo, & morbos ò Dorothea tuos?

Regina,  
 Benigna,  
 Dorothea,  
 Hea.

Que teneris hydropi sauo correpta sub annis  
 Clausisti uitam ualde puella tuam.  
 Fronica quarta soror (nimium ne seua cicatrix  
 Crudescat) plane est prætereunda mihi.  
 Quid demùm de me Genitor charissime dicam?  
 Num uestris canis ultima causa fui?  
 Qui tot sum morbos, & tam perpeffus acerbas  
 Ærumnas, quoties risit Apollo mihi.  
 Qua facie rigidis sum queso reductus ab oris  
 Saxoniae? num non mortis imago fui?  
 Quanto Chrysolim petij discrimine uite?  
 Cum uix ereptus carcere mortis eram.  
 Quantum mœroris peperit matriq; tibiq;  
 A uobis abitus proximus ille meus?  
 Vxorem quando mecum, uestrosq; nepotes  
 Abduxi è patrijs sinibus atq; focis.  
 Tẽpore quo schola nostra graue esse p̄pessa ruina,  
 Fulmine ceu magni præcipitata Iouis.  
 Quo matri (grauiter uiolato iure) tibiq;  
 Quod uestrum fuerat dempsit iniqua manus.  
 Contra omnes leges, contra diplomata pridem  
 Accepta, & contra fasq; piumq; simul,  
 Talia, pluraq; (quæ modo non memorãda uidetur)  
 Tecum unã genitrix ferre coacta fuit.  
 Sic longo miseram traduxit tempore uitam,  
 Sic miseri semper plena laboris erat.

Veronica.

Quando

**Quando**quidem uero mala fortiter omnia licit  
 Per Christum, electis associata choris,  
**Quando** cum Christo, cunctis erepta periculis,  
 (Quem coluit uere) regna beata colit:  
 Mittamus nimios Genitor charissime luctus,  
 Cessemus gemitus conduplicare graues.  
 Ut nos spem firmam uitæ testemur habere  
 Æternæ, & prorsus subdubitare nihil.  
 Cælestem uerò sincera mente precemur,  
 Per Christi nati uulnera seuæ Patrem,  
 Ut nos ereptos hoc carnis carcere tandem  
 Dignetur sanctis associare suis.  
 Hæc ubi perpetuo cum matre uidebimus omnes  
 Electos Christi, perpetuumq; patrem.  
 Presentem uitam (quæ felix tempore longo  
 Sit tibi) te ducet filius ipse Dei.  
 Presidiumq; tuæ, & solamen dulce senectæ  
 Semper erit, grata teq; iuuabit ope.  
**Quod** postremo boni studium offitiumq; requirit  
 Nati, illud totum defero sponte tibi.  
 Quidquid enim possum, tua amabilis atq; paternæ  
 Erga me bonitas uendicat ipsa sibi.  
 O utinam libeat tibi, semper uiuere mecum,  
 Et tenuem mensam consuluisse boni:  
 Namq; tui multum moeroris (ut ante) nepotes  
 Iucundi eximerent pectore, crede mihi.

Ergo

Ergo agè quàm primum poteris pete limina nostra  
 Cum fratre, ergo tuis sæpe uocate ueni.  
 Coniunx, Esaias, Margretulaq; ore quasi uno  
 Te, fratremq; meum rite ualere iubent.  
 Omnipotens pater, & natus cum flamine sancto  
 Te nobis saluum seruet amande pater.

Anno 87. Mense Aprilis.

**EPICEDIUM** EIVSDEM MA-  
 tris suæ charissimæ, annum quo de-  
 cessit indicans.

**HIC** qVoqVe LeonartI PaVMgerI  
 Agneta qViesCo  
 VXor: sVb CLiPeo ChrIste qVIeta  
 tVo.

**EPITAPHIUM** ALIUD,  
 pridem à D. G. B. post famam de matris  
 obitu falso ortam, scriptum.

Vxor alloquitur Maritum.

**P**one tuos gemitus, lachrymas, suspiria, fletus  
 Præcipue ô uita patris Leonarte meæ.

G 2 Non

*Non ego ad horrendas abij Phlegetontis arenas,  
Sed dulci in Christi uiuo beata sinu.*

*Illic expecto communia gaudia, mecum  
Vt celebres summi facta decusq; Dei.*

*Obijt in inuocatione filij Dei,  
Anno 57. Die 20. Aprilis.*

SEQVNTVR VERSVS LYRI-  
CISOPHONIAE PAMINGERI.

CHORIDVO, AD RE-  
VERENDISSIMVM GVOLFGAN-  
gum à Clovis Episcopum Pataviensem, in recita-  
tione Persæ Plautinae decantati, Anno 56.  
Mense Februario.

CHORVS PRIMVS.

**G** Rex noster illustrissime  
Princeps tuæ se sedulo,  
Summaq; diligentia  
Commendat amplitudini,  
Tuus Antecessor, inclytis  
Vir præditus uirtutibus,  
Magno quidem nostrum gregem  
Fauore prosequutus est.

Nam

*Nam fronte læta sepius,  
Et admodum benigniter  
Audire nos dignatus est,  
Deditq; larga munera.  
Cuius uelut nomen refers,  
Sic te parem uirtutibus  
Quantum tuæ uires ferent,  
Vt præbeas conaberis.*

*Precamur autem amplissime  
Princeps, ut æquo pectore  
Nos audias tibi deditos,  
Reddasq; uoti compotes.*

*Hac uero uoti compotes  
Ratione reddi possumus  
Nostrum laborem cum tibi  
Placere declaraueris.*

CHORVS VLTIMVS.

**N**ostram quidem Comædian  
Nunc Præsul illustrissime  
Recitauimus: quamuis paruum  
Fortassis ex sententia.  
Rogamus ergo ne nos  
Audisse nostros tædeat.

G 3

Puerilibusq;

Puerilibusq; fabulis  
 Trivisse tantum temporis.  
 Nam quando nobis promptior  
 Nouena turba fulserit  
 Dabimus decentia munera,  
 Viroq; digna Principe.  
 Summi patris te filius  
 Tueatur, atq; dirigat  
 Vt rite fungi munere  
 Possis tibi concedito.

**ALII DVO CHORI IN RECITA-**  
*tione eiusdem Comœdiæ, coram Prudentissi-*  
*mo senatu Pataviensi decantati,*  
 Anno ut supra.

IA MBICA TRIMETRA.

**F**ortasse queritis uiri spectabiles  
 Qua fronte uestra limina puerilibus  
 Toties petamus fabulis doctissimas  
 Id uestra (paucis ut dicamus) efficit  
 Humanitas, qua nos soletis prosequi  
 Animiq; candor nemini non cognitus  
 Precamur autem sedulo, ut Comœdiam  
 Hanc audiatis auribus promptissimis  
 Animoq; quo nos audistis hactenus.

CHO

## CHORVS VLTIMVS

ad eundem Prudentissimum Senatuum  
 Pataviensem.

IA MBICA TRIMETRA.

**N**ostram quidem Comœdiam  
 Audistis ornatissimi  
 Viri, patresq; maxima  
 Reuerentia dignissimi.  
 Si uerò non feliciter  
 Cessit, nec ex sententia:  
 Non imputandum nostræ erit  
 Socordiæ, aut negligentie.  
 Immo magis doloribus  
 Qui nostra pectora obruunt  
 Iniuriæq; temporis  
 Durissimi imputabitis.  
 Nam quis scholæ nostræ modo  
 Status sit haud uos præterit:  
 Ea namq; dissipabitur,  
 Penitusq; forsitan corruet.  
 Quæ plurimos Ecclesiæ,  
 Reiq; publicæ uiros  
 Idoneos enutrijt,  
 Suoq; fuit in sinu.

G 4

Textus

**T**extoris (ut dici solet)

Ob uitium Hypetes uapulat:

Sic nostra nescia criminis

Schola ferre pœnas cogitur.

**H**ęc res dolendi uberrimam

Nobis ministrat copiam,

Animosq; nostros languidos

Ad studia reddit omnia.

**V**os igitur ornatissimi

Viri, & patres clarissimi

Nostros fauete laboribus,

Gregiq; uobis dedito.

**Q**ui grex quidem quasi ultimum

Vobis modo dicit Vale:

Nam uestra posthac limina

Adire fors negabitur.

## AD D. LEONARTVM

Reyter Antistitem cœnobij Suben  
prope Scherdingam.

**H**oc tibi munus, simul & salutem  
Plurimam mittit Genitor, rogatq;  
Sedulo, ut uultu capias sereno

Vir uenerande.

Nam licet donum fateamur esse  
Quod tuis impar meritis sit in nos,  
Attamen nunquam deerit uoluntas

Reddere grates.

Christus æterni Patris alma proles

Totius mundi sator & redemptor

Conferat nobis placidum & quietum

Omnibus annum.

## AD D. GVOLFGANGVM Stingl Antistitem Farns pacensem.

**I**ngratitudo criminum  
Est omnium turpissimum,

Et ut lues seuisima

Fugienda honestis omnibus.

Tu me quotannis excipis,

Tractasq; liberaliter,

Et grata confers largiter

Mibi patriq; munera:

Quod cum parens perpenderet

Mecum: uiamq; quæreret

Qua nomen ingrati à suis  
Procul fugaret aëdibus:  
Nil præter hoc chartaceum  
Munusculum sese obtulit,  
Grati quod esset pectoris  
Celebre testimonium.  
Hoc igitur ut strenua loco  
Boni precamur consulas,  
Placidoq; nos (uelut soles)  
Fauore pergas prosequi.  
Christus Dei uerbum patris,  
Cuius pijs fidelibus  
Natiuitas sanctissima est  
Celebranda gratis mentibus,  
Præsentis anni circum  
Nobis secundet omnibus,  
Penitusq; tollat omnia  
Discordiarum semina.  
Annos 6. Mense Ianuario.

AD QVENDAM AMICVM.

Qvod lares nostros humiles subire  
Non recusasti, tenuemq; cenam  
Non negligisti, tibi care habetur  
Gratia, Thefeu.

Sic enim quod nos foueas, amesq;  
Mente sincera liquidò uidemus,  
Et quidem nobis erit hoc perhennè  
Pignus amoris.

Tu uoluntatem (nec enim facultas  
Plura concedit dare nunc) probabis,  
Est enim nobis (uelut ipse nostri)  
Curta supellex.

Annos 5. Die 15. Maij.

AD EVNDEM

προσηματιδον.

Non posse te mihi credere  
Thefeu reor charissime,  
Quantum doloris hæc tua  
Discessio mihi afferat;  
Quoties enim consydero  
Humanitatem in nos tuam  
Animiq; promptitudinem,  
Luctus grauis me corripit.  
Tu namq; me, & patrem meum,  
Totamq; nostram familiam  
(Quod ipsa res loquitur) pio  
Amore prosequutus es.  
Quia uero stat sententia,  
Et non potest mutari:

Iſtis prius tibi uerſibus  
 Volui ſalutem dicere.  
**I** (ſiquidem non perfrui  
 Tua amplius præſentia  
 Nobis licet) dextro pede  
 Caſta tua cum coniuge.  
**I** ſparge Chriſti dogmata,  
 Eiusq; paſce ſedulo  
 Oues, tibi concreditæ  
 Fidei renatæ pabulis.  
 Euerte falſa dogmata  
 Chriſtiq; uerbum prædica  
 Quod turba damnat impia  
 Stygiæ paludi debita.  
 Oppone te his quos in ſinu  
 Meretrix ſuæ Babilonica,  
 Hoſq; cunctos ſtrenuè  
 Gladio coherce ſpiritus.  
 Quanto magis ſæuit Sathan  
 Contra piæ plebeculam,  
 Tanto magis Tyrannidi  
 Eius reſiſtito impia.  
 Poſtremò candidiſſime  
 Theſeu rogo, ut noſtri memor  
 Sis, & tuos Paumingeros  
 Amare pergas ut ſoles

Chri

Chriſtus tuæ ſit dux uia,  
 Te dirigat, te protegat,  
 Seruetq; ab omni te malo  
 In ſæculorum ſæcla, Amen,

Anno 55. Die 18. Maij.

## AD GVILIELMVM Hartelium ſuum Gymnaſiar- cham Fornpacenſem.

**C**RAS Toxites, & Theſeus noſter, uiri  
 Clariffimi, nec non poëtæ nobiles,  
 Te conuenire, & alloqui deſyderant.  
 Guiljelme amice multò iucundiſſime.  
 Noſtra ergo pro ueteri neceſſitudine  
 Te commonendum cenſui: uidelicet  
 Vt quomodo dignè ſatis tantos uiros  
 Excipere uelles, interim perpenderes.  
 Te. Toxiten uidiſſe nunquam exiſtimo,  
 Quare tibi gratiſſimos fore hoſpites  
 Noui, tuoq; philomuso Antiſtiti,  
 Qui maximi ſemper facit doctos uiros.  
 Ego (ſi minus laboribus ſcholæſticis  
 Obtunderer) comitem uiriſme adiungerè.

Quorum

Michael  
 Toxites  
 Poëta  
 Laureatus.

Stephe-  
 nus Anti-  
 ſtes Farn-  
 pacenſis  
 Philom-  
 uſus.

Quorum quidem erudita conuersatio.  
Humanitasq; me delectat plurimum.

Nescio equidem quo numine ad poetices  
Amorem, & admirationem pertrahar:  
Quoties enim datum lego uel audio  
Versum, papè quanta uoluptate obruor?

Quam uero diuinos poetas diligam,  
Quanti aestimem, quantum colā (licet ipse sim  
Musis, Apolliniq; planè incognitus)  
Exprimere uerbis uix mihi conceditur.

Vtinam mihi liceret eminus sequi  
Signa alitis Caystrij, & poetici  
Exercitus Tyrunculus inter locum  
Habere, & ultimo frui stipendio.

Non Toxitis, non Theſci, aut Stigelij,  
Noſtri utriusque præceptoris, aſſequi  
Deſydero elegantiam & facundiam:  
Nam quo modo ex harena neſterè funiculi?

Sed quò feror? uerbis quid utor pluribus?  
Quo me rapit florentis uſq; amœnitas  
Lauri? mei uix ſum memor, ſic quemlibet  
Studium ſuum, & uoluptas quolibet trahit

Tu (ſi me amas) Guilielme iucundiſſime,  
Vt optime ualeas, dabis ſedulo operam.  
Doctiſſimis autem uiris quantum uoles  
Te oblecta, coſq; liberaliter accipe.

Dies, Decemb, Anno ſs.

Ad

AD OPTIMVM PRV-  
dentiffimumq; uirum Petrum Kapſaue-  
rum ciuem Patauienſem, Me-  
cœnatem ſuum.

**N**on nescio, uir optime  
Idemq; prudentiffime,  
Quantum tibi pro maximo  
In me fauore debeam.  
Tu namq; sub Melanthonè,  
Doctore facundiffimo,  
Me militantem, largiter  
Iuuiſti, & humaniſſime.  
De me, meoq; de ſtatu  
Omni, ſolebas quærere  
Patrem (uelut retulit mihi)  
Frequentè atq; ſedulo.  
Quod euident, magnūq; erat  
Meherclè testimoniū  
Amoris erga nos tui,  
Studiij, atq; promptitudinis.  
Sed quo modo par gratis  
Reſerri poſſit, nescio,  
Fortuna namq; omnem mihi  
Reſerendi ademit copiam.

Ioannes  
Stigelius  
Poeta lau-  
reatus.



*Si uero quid tenues meas  
 Vires, meamq; industriam  
 Valere indicaueris:  
 Quoties placebit, utere.  
 Christus redemptor omnium  
 Vitam tuam foelicitet,  
 Et fata te post ultima  
 Iungat supernis ciuibus. Amen.*

## PRÆCEPTA QVÆDAM

discipulis suis à literis uacationem petentibus præscripta.

- I.** Psycholutriam primò omnium cauebitis,  
**II.** Non hinc, & inde cursitabitis, mala  
**III.** Consortia ut pestem grauissimam procul  
**IIII.** Fugietis omnes, nonq; more Menadum  
**V.** Clamabitis, nullam simultatem inuicem  
 Mouebitis, rixis remotis omnibus.  
**VI.** Atq; illa quæ prælecta uobis hactenus  
**VII.** Repetetis, & lingua uernacula minus  
**VIII.** Loquemini, sacris adesse tempori  
**IX.** Curabitis, nec non diebus singulis  
 Festis Catechismum (ut solemus, & decet)  
 Discetis, & recitabitis memoriter.

Lusus

*Lusus honestos non tamen uetabimus,  
 Virtus modo adhibeatur excellens Modus.  
 Frequenter autem Musicam exercebitis,  
 Quæ præferenda singulis est lusi bus:  
 Nam sicut est diuina res, ita maximè  
 Humana mulcet pectora, atq; tædia  
 Omnia fugat procul, & molestias simul.*

X.

## AD GVOLFGANGVM

Putzium, & Georgium Pfitzerum, Synergos suos.

**S**i belle cum scholastico  
 Coetu ualetis, si suum  
 Munus facit fideliter  
 (Ut spero) quisq; gaudeat  
 Quantum quidem circa diem  
 Videre uos decreueram:  
 Quo me die dubio procul  
 Patriam relinquere creditis.  
 Sed me fefellit opinio  
 Opinionem omnem citra  
 Sententiamq; uertere  
 Me cogit ipsa necessitas.

H

Gemi

Genitrix enim mea maximo  
 Versatur in discrimine  
 Vitæ, & parentem flebili  
 Mœrore, luctuq; afficit:  
 Hos ergo iambos mittere  
 Modo uolebam simplices,  
 Vobis ut innotesceret  
 Precipua causa meæ moræ.  
 Reditum tamen diutius  
 Differre nostrum nolumus,  
 Quando optimo & ter maximo  
 Saltem Dei uidebitur.  
 Qui quò suum per filium  
 Nos & gregem scholasticum  
 Nostrum regat benigniter  
 Totis precemur mentibus.  
 Sebastianum Anemæcium  
 Christi docentem dogmata  
 Nostrumq; amicum, uiuere  
 Iubete foelicissime.

D. Seba-  
 stianus  
 Anemæ-  
 cius Eccle-  
 siastes  
 Tekhen-  
 dorffensis

Patauie 26. Martij. Anno 57.

AD D. GVOLFANGVM FRO-  
 lich, pastorem Alburgensem amicum, atq; olim  
 condiscipulum suum.

TH

**T** V me, meosq; largiter  
 Humaniterq; tradittas,  
 Quoties quidem te uisimus  
 Guolfgange amice candide.  
 Parem proinde gratiam  
 Quoniam referre non licet,  
 (Nam nulla se penitus mihi  
 Occasio hæcenus obtulit)  
 His uersibus tibi meam  
 Declaro promptitudinem,  
 Studium, operamq; ultrò tibi  
 Meam uicissim deferens.  
 Idcirco, si libet, utere  
 Commilitonis, & tui  
 Veteris amici uersibus,  
 Animiq; promptitudine.  
 Donec mihi benigniter  
 Magis fortuna fulserit,  
 Quemadmodum Creso, & Myda  
 Fulsit, uiris potentibus.  
 Tunc namq; te sanctissimum  
 Episcopum creauero,  
 Tuos pedesq; Principes  
 Exosculari iussero.

Anno 57. In die Stephani  
 prothomartyris.

H 2

AD

AD GVOLFGANGVM  
Haibecum Straubingensem  
amicum suum.

**T**E plurima iubeo salute perfrui,  
Diesq; Latos uiuere.  
Necessitudo nostra me diutius  
Equidem tacere non finit:  
Oblata quandoquidem mihi est occasio  
Scribendi, & opportunitatē.  
Aliquot enim cum Theseo, charissimo  
Meo, dies nuper fui.  
Qui quā bene, & humaniter tractauerit  
Me, nunc referri non potest:  
Dum uero colloqueremur inuicem du,  
Multumq; (ita ut fieri solet)  
Facta est tui quoq; ualde honesta mentio,  
Nec raro, sed sepiusimē.  
Tuum insuper didascalum fuisse se  
Dicebat ipse Theseus,  
Et ut tibi salutem dicerem suo  
Nomine, rogabat sedulo.  
Hoc ergo mente prompta (ut cernis) exequor  
Mibi creditum negotium:

Te

Te namq; plurima salute impertior  
Nostro, utriusq;, nomine,  
Tantumq; mitto tibi boni, quantum potest  
Tua ferre nauis maxima.  
Te præterire sepius nostrum Oppidum  
Audio, tuosq; uisere:  
Fac ergo me quoq; uisites, nostræ memor  
Necessitudinis, Vale.

Anno 57. Mense Augusto.

AD D. AVGVSTINVM  
Munsterer Decanum, & Paro-  
chum in Munfreyching.

**C**Vm nostra, nostris uersibus  
Inconditis manum ultimam  
Minerua uellet addere  
Munstere dilectissime:  
Suggestit hos iambo mihi, &  
Mandauit ut tibi mitterem,  
Ceu testimonium euidentis  
Nostræ necessitudinis.  
Igitur ut accipias eo  
Qua mittimus tibi pectore

H 3

Salutem

Salutem, & ista iambica  
Studio rogamus maximo.  
Summum patrem, cum filio,  
Et spiritu sanctissimo  
Creatam laudent omnia  
In sempiterna sæcla, Amen.

Norimbergæ Anno 57.  
Die 21. Octob.

SEQVUNTUR CHORI  
in quâdam Comcedias.

IN COMOEDIAM STEPHANIVM  
CHORVS PRIMVS.

*Auaritiæ detestatio.*

**N**il est avaro turpius,  
Qui quod magis habet, cupit  
Maiores, nec contentus est  
Cresco licet sit ditior.

Nil est avaro turpius,  
Tantum suos qui diligit  
Nummos, ut illis utitur  
Non audeat cum res petat.

Nil est avaro turpius,  
Qui nec sibi nec cæteris  
Hominibus utilis est, Deo  
Penitus abominabilis.

AD SECVNDVM ACTVM.

Contra seruorum improbitatem & Domi-  
norum tenacitatem ni-  
miam.

**S**eruus bonus custodiet  
Domini sui rem creditam,  
vitare si pœnas uolet  
Quas sustinebunt improbi.  
Dominum suum qui decipit,  
Pœnam meretur maximam,  
Si uero quid furabitur,  
Crucibus duabus dignus est.  
Heros tamen monitos uelim  
Causam suis ne seruulis  
Furti ministrarent, sua  
Tenacitate sordida.

AD TERTIVM ACTVM.

Contra Adolescentiæ les-  
uitatem.

Iuuenta uiuunt in diem,  
Omnesq; curas negligit  
Et quo modo traducere  
Vitam uelit, non cogitat.  
Prudentiam Iuuenes, simul  
Et disciplinam negligunt,  
Absurda amant, & expetunt,  
Honestam non magni estimant.  
Nato senex si diceret  
Ut cum bonis amiculis  
Potaret atq; luderet,  
Tandem bonus pater foret.

AD ACTVM QVARTVM,  
In eos qui se lucri causa  
uitæ periculis com-  
mittunt.

Negotiationibus  
Multi modo sunt dediti  
Multas opes ut conuehant  
Labore quàm durissimo.  
Hi pluribus periculis  
Vitam suam committere

Coguntur in terra & mari,  
Cum morte sepe dimicant.  
Nunc in latrones incidunt,  
Nunc in leui pereunt aqua,  
Nunc igne, nunc ferro cadunt  
Causa lucri leuissimi.

AD ACTVM VLTIMVM.

Fornicationis detestatio, & matris  
monij commendatio.

Nil est in orbe scelestius  
Scortatione sordida,  
Homines enim pecudes facit  
Ut ab Asinis nil differant.  
Idcirco matrimonium  
Instituit omnipotens Deus  
Ut quilibet custodiat  
In sanctitate uas suum.  
Te deprecamur optime  
Spectator ut nostros bono  
Animo labores consulas,  
Valetis cuncti ac plaudite.

IN TERENTIANAM  
Eunuchum. Ad Actum  
primum.

Eiusdem argumenti cum superiore.

**N**efanda & execranda res  
Meretricis est amor improba,  
Et luxu, & ocio satus  
Puer impijs parentibus.

Hic bestiam ex homine facit  
Homines, Deosq; negligit.  
Hic (si minus resistitur)  
Quam primum in Orcum merferit.

Quare puer bonæ indolis  
Malum hoc cauebit sedulo,  
Nam si semel corrumpitur,  
Vix ulla spes superest boni.

II.

In Gnatonos & Parasitos.

**D**eterrimum est genus hominum  
Quod in otio uentri studet,  
Et rudibus imponit dolis,  
Salibusq; doctos captitat.

Hoc facit & audet quodlibet  
Patrare contumaciter,  
Sit uel pium uel impium  
Ventri modò si consulat.  
Igitur magistratum decet  
Hos ferro & igne persequi,  
Ne sint in Aulis (ut solet  
Fieri) priores cæteris.

III.

In puellarum deceptores.

**N**il turpius quàm foemina  
Sui pudoris nescia,  
Quibuslibet se uenditans  
Mercede quàm turpissima  
Vah his non respicientibus,  
Vah sceleris atrî authoribus,  
Qui simplices puellulas  
Fallunt dolis latentibus.  
Vah tibi magistratus tuum  
Qui negligis offitium, impio  
Parcenda huic generi hominum,  
Quod damnat ipsa uox Dei.

IIII.

### I III.

In Thraſones faſtuofos, atque  
Ardeliones.

**R**isu quidem dignissimi  
Sunt faſtuofi maximi,  
Qui ſe omnium primos putant  
Cum ſint tamen ſtupidiſimi.  
Hiſ dum nimis ſe iactitant,  
Verbiſq; ſeſquipedalibus  
Laudes ſuas recantitant,  
Produnt ſuam ſtultitiam.  
Quos licet aperte rideas  
(ſi ſaltem eos laudaveris)  
Stulti tamen palpum ſibi  
Non ſentiunt obrudier.

#### V. CHORVS.

Ad ultimum cuiuſvis Comœdiæ  
Actum idoneus.

**A**vidiſtis hanc quam luſimus

Comœdiam

{ Terenti  
boni viri  
Macropedij

Qua

Qua ſi cui depinximus,  
Vitiaq; forte carpiſimus:  
Is non moleſtius feret,  
Imò magis pro uiribus  
Studebit ut mores ſuos  
Emendet, ac corrigat.  
Proinde candidiſſime  
Spectator hanc noſtram boni  
Operam precamur conſulas.  
Valete cuncti, ac plaudite.

CHORVS C V I V S L I B E T H O  
neſtæ Comœdiæ initio conueniens.

**M**ulti celebrant Orgia  
Bacchi, iocis turpiſſimis,  
Et impie tempus terunt,  
Nullam boni rationem habent:  
Vitare nulla ſcandala  
Volunt, ſed errores ſuos  
Probare contumaciter  
Nituntur uſq; peſſimi.  
Nos uero rectis moribus  
Studeamus, et uirtutibus,  
Salibus, iocisq; dulcibus  
Suo loco tamen additis.

IN PLAVTI AVVLVARIAM

Chorus. In eos qui dotis maiorem quàm honestatis rationem habent.

**C**aligo tanta, & cæcitas  
Mentes tenet mortalium  
Vt non queant dignoscere  
Quid sit pium, uel impium.  
Pleriq; enim dotem magis  
Quàm coniugem querunt uiri  
Bonis neglectis moribus  
Et in clytibus uirtutibus.  
Non ergo mirum si minus  
Res cedat ex sententia,  
Si sæpe multa tristitia  
In matrimonio accidant.

AD VLTIMVM ACTVM.

**N**aturam auarus Euclio  
Mutauit omnino suam.  
Et liberalis factus est  
Qui nunc erat parcissimus.  
Vos igitur exemplo senis  
Moniti, haud grauatim singuli

Conferte

Conferte uestra munera  
Et nos inuuate largiter.  
Te deprecamur optime  
Spectator ut nostros bono etc.

Vt supra.

ALIVS QUIDAM CHORVS.

**Q**uicumq; dicit quæ uolet,  
Quæ non uolet sæpe audiet.  
Stultus taceret si senex  
Hunc non prior lacefferet.  
Causa morionis honestior  
Nobis uidetur quàm senis.  
Vestram tamen sententiam  
Audire non negabimus.

Finis Poematum Sophoniae  
Pamingæri.

LIBER



LIBER POE-  
MATVM BALTHESA-  
RIS PAMINGERI.

REVERENDO PA-  
tri, ac eximia uirtute præstanti Do-  
mino Augustino Munich cænobij Ranshouien-  
sis Antistiti, literatorum omnium Patrono & fau-  
tori incomparabili, Domino ac Mæcenati suo  
colendissimo Sophon. Paminger  
Patauinus S. P. D.



TSI M B CÆNAS CO-  
lendis: tibi pro tuis in me offitijs  
aut nulla, aut perexigua relata est  
gratia, nunquam tamen desuit res-  
serendi studium & uoluntas: Non  
enim credam animum meum ab ullo uitio perinde  
abhorrere, atq; ab ingratitude, adeo, ut hominis  
uocabulo indignos, & quadam barbarica feritate  
obcæcatos illos iudicârim semper, qui hoc uitio la-  
borantes turpissimo, alieni in se meriti obliuiscerentur.  
Eos contra uerè fœlices esse existimans, quibus  
fortuna tantum facultatis suppeditauit, unde  
aut

PRÆPATIO.

aut parem benefactoribus suis referre gratiam, aut  
cum foenore quodam acceptum beneficium repen-  
dere possint. Quorum utrunq; mihi denegari, &  
hactenus denegatum esse, uehementer sanè doleo.  
Quia uerò studium & uoluntas (ut dixi) desuit  
nunquam, uenia dignus mihi uideor, quandoquidem  
intèr iustitiæ speties, ea nequaquam postremas te-  
net, quæ bene meritis, si non pro dignitate, tamen  
pro uotis respondet. Te Mæcenatem, patronum et  
fautorem omnium studiosorum, patremq; paupe-  
rum multi prædicant, inter quos ut mihi locū haud  
postremum uendicem, tuæ erga me singularis effe-  
cit beneuolentia, & humanitas. Nam simul ac lite-  
ris acceptis commendatitijs à uiro ornatissimo M.  
Ioanne Kappenstill, & parente meo dulcissimo, cui  
antea tecum familiaritas intercesserat, comitante  
me doctissimo humanissimoq; uiro Stephano Vo-  
kenriedero alumano tuo (qui nūc in Christo quiescit)  
te antea nunquam uisum accessi, tanta me beneuo-  
lentia, & humanitate accepisti, tam familiariter  
tractasti, ut uix dici queat. Namq; manu appre-  
hensum hinc inde ducebas, Bibliothecam tuam opti-  
mè instructam, Thesaurum tuum præciosissimum,  
& senij tui unicum refrigerium, cui noctesq; diesq;  
incumbis, mihi monstrabas, cū alijs multis, quæ me  
I pluri

P R Æ F A T I O .

plurimum delectabant. Post elapsis aliquot diebus me Ingolstadium continuandorum studiorum gratia profecturū (quæ quidē paulò antè haud in foelièter Vitebergæ inchoata, sob aduersam ualetudinem deferere erã coactus) liberali admodum uaticio donatū dimisisti, studium et operã tuam deinceps quoq; mihi quàm humanissime premittēs. Vt uerò Chrysopolim ueni, septem (si rectè memini) adolescentes offendi in ædibus M. Gasparis Hermannii doctissimi uiri, præcocis ingenij et quasi immatura morte præcepti, (q tuū se quoq; fatebatur esse Alumnū): quos omnes tua liberalitate illic uiuere ab ipso audini Hermanno. Quid uerò de scholasticis illis in trivialibus scholis (ut uocant) uersantibus cōmemorem? Quorū præterq; quod copiosam quotidie aliis multitudinē, et scholæ tuæ uiros eruditos liberali procul dubio stipēditio cōductos, M. Thomã Winter, et Patriciū Villicū, tua ope quondã (ni fallor) in Academia uersatos rectores habes: alios quoq; scholasticos pauperes aliunde aduentantes admodū iuuas liberaliter. Qui præterea de alijs dicã egenis, stipē colligentibus? Quorū hunc inde (præcipuè uerò diebus festis) magna ad te confluit copia: quos omnes liberaliter admodū dimittis: Hisce enim meis uidi te oculis altè quoties stipatū turba suscipiēte stipē hilari fronte, et

P R Æ F A T I O .

et ambabus dona distribuere manibus. Quam uerò pauperes iuuas liberaliter, nō tamē ideo te rei familiaris iacturã sentire ullã intelligo, sed optimi patris familiãs fungi offitio, et nō minori laude curare œconomã q̄ uel optimus anteecessorū tuorū curauit: Fidelis enim Deus est, q̄ collata in suos beneficia multo eū scenore repēdit, et glorificātes se rursū glorificat, iuxta illud Proverb. 3. Honora Dñm de tua substãtia et de primitijs frugū tuarū. Da pauperibus, et implebuntur horrea tua saturitate, et uino torcularia redundabunt. Itē cap. 28, Qui dat pauperi, nō indigebit, etc. Hoc tuū erga studiosos pauperesq; studii quã ipse dissimules, et de te prædicari nolis, ipsa tamē gratitudo dissimulare prohibet. Vtinam plures haberemus tui similes Antistites, q̄ uētris studio, crapulisq; missis, maiori sedulitate tandē perenderēt primã et principalē fundationis Monasteriorū causã, et pauperes studijs liberalibus deditos ad colendã Christi uincã, et ad propagandã ad posteros syncerã de filio Dei Dño et saluatore nostro Iesu Christo doctrinã promouerent: sed hæc pauci admodū curāt, in ædificia, quæ persepe uel ad inanem uoluptatē, uel stultã ostentationē extruuntur, quanta collocatur inutiliter pecunia? In cōmessationes et cōuiuia, quid non contra maiorū nostrorū sobrietatē

PRÆFATIO.

sobrietate, frugalitatem, et temperantiam quotidie effunditur. At ubi ad scholas uenitur, Ecclesiarum et Reipubl: domicilia (hinc enim proceres heroesq; ad utranq; cum ciuilem, tum Christianam Rempubl: gubernandam proficiscuntur; hinc curia prudentiam, tribunal iustitiam, Ecclesia puram Euangelij doctrinam, ac syncerum Dei cultum haurit. Hinc, ut uerbo dicam, utriusq; Reipub. summa prouenit felicitas) tunc nemo non eget, omnes sunt inopes, nulla pecunia penitus suppetit. Quin et eiusmodi hoc nostro peruersissimo seculo reperitur, Sathanæ satellites, Harpyiarum magis quam hominis uocabulo digni, qui Epicurea, et plusquam Cyclopæa barbarie ducti, non tantum nihil ad scholarum conseruationem conferunt, sed qualitecunq; pretextu scholas expilant, deprædantur, ac ne Rutis quidem ac cæsis (ut Iure consultorum more loquar) receptis, penitus euertere et funditus extirpare, ad patesfaciendam idolatriam, et Sathanicam tyrannidi fenestram, conantur. Hij seculi nostri sunt mores, hæc temporaria demum uerè scholis explosis expilatisue à boue currus trahitur, et necesse est, ut omnia præposterò ordine cedant, atque in cæcum chaos corruant. Metuendum sanè est famem sitimq; haud procul abesse, non (ut propheta ait) panis et aquæ,

PRÆFATIO.

aque, sed eruditorum hominum, et saluberrimæ animæ nostræ cibi, diuini uerbi, quod (insandum) ab impijs anathematatum executoribus et sordidè de grege Epicuri porcis pedibus conculcatur. Ego uix annum xix. egressus, me ad omnium piissimam functionem scholasticam contuli, in qua quicquid ætatis à Christo mihi concederetur transigere deæ creueram: uerum ubi in hoc genere uitæ (ne dicam pistrino) integros undecim annos triui, satis diu hoc mihi saxum uoluisse uideor. Tot enim labores, erummas, curas, animiq; molestias expertus sum, experiorq; ut affirmare ausim eos qui scholis pie et fideliter præsunt, omnium mortalium longè esse miserrimos; Atteruntur enim, et labefiunt totius corporis uires, non docendi dicendiq; labore tantum, quantum curæ perpetua, animiq; dolore. Hinc constat nec omnes doctos atq; ingeniosos promiscuè ad hanc functionem idoneos esse; Cicero enim pro Ros: Comæ: Quo quisq; (inquit) est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius, et laboriosius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id eum tardè percipi uidet, discruciat. Nemo sanè est tam cornea fibra, qui non ex animo stomachetur, quando toties surdo narrare fabulam, aquam in mortario tundere, et (ut Græci dicunt) ἰνὸν ἰνὸν τοῖς

PRÆFATIO.

*ep* *lous* *em* *ba* *ad* *ep* cogitur. Nec mea quidē sententia mirū, multos (præsertim eos quos præsentis uitæ præmia magis quàm æterna illa, omnibus pijs doctoribus promissa sollicitat) hanc prouinciã totis fuge re uiribus, uident enim laborū oceanū, atq; ingens molestiarū Mare, gratiã uerb̄ aut admodum rarã, aut omnino nullam, præmiãq; perexigua, atq; adeo ut Satyricus ille rectē dixerit: Pœnituit multos uas ne sterilitisq; cathedræ. Parcens meus dulcis: (ut reliquos præterea) circiter 40. annos piē, summãq; fide hanc administrauit prouinciã, id quod multi testantur honesti et fide digni: uiri, quorū olim præceptor erat: cuiusmodi autem cōtinuis laboribus, uiribus exhausto, confectōq; referatur gratia, liquidō constat. Hæc quãuis aut nihil aut parū ad rem facere uideantur, ipsa tamen iniuria et rei ueritas hinc diutius aliquantō me immorari cōegit, nam (ut disci solet) ubi dolor ibi manus. Ne uerb̄ Epistola nostra limites suos nimis transgrediat, et calcem magnū iuxta Agefilai Apophtegma paruo aptemus pedi, ad te Mecænas optime redeo. Cui (quando qui dem studiosorū patronus, paterq; pauperū meritō prædicaris) uerē et studiosi, et pauperis, imō (non quidem nomine, sed re ipsa) Lazari, Balthaseris fratris mei charis: (piæ memoriæ) Libellū ad eodem

inter

PRÆFATIO.

inter medios ærurnarū fluctus scriptū & meo & parentis mei charissimi nomine offero. Tu eo accipies animo, quo uehementer grata accipiuntur. Nam nisi magni cuiusdam muneris loco acceperis, de summa ab eo qui collatis in se offitijs respondere nequit, in periculum uenies. Sed alienis facultatibus, me solutionem parare forsitan aliquis uociferabitur, cui breuiter respondeo. Non hæc aliena, sed fratris esse. Etsi essent, tamen quod alijs multis bonis licet, qui alienas lucubrationes Mecænatibus suis, nec cognito, nec unquam uiso Authore, dedicant, hoc ipsum mihi quoq; licere sperabam in ijs, quæ quasi hæreditario iure mihi post fratris mei charissimi obitum cesserunt. Sed nec contra Memos defensione hanc opus arbitrabar lucubrationem, quandoquidem nemo mentis compos cum uitæ sanctis unquam luctatus est, inuidia enim liuorq; post ultima fata cessant. Et Ecclesiasticus cap. 7. honorem mortuis non ignominiam exhibere præcipit. Candidus Lector omnia dextrè interpretabitur, et si quid minus eleganter, aptè, aut appositè scriptum deprehendet, facile condonabit, ubi Authoris miserrimum uitæ statum, quem supra in Rubricis nostris obiter attigimus, animi oculis contemplabitur: Nam continuos duodecim annos

I 4

torque

PRÆFATIO.

torqueri, lacerari, secari, medicorū tantā tolerare  
 perfidiā, pedem loco mouere non posse, omnibusq;  
 totius corporis bonis, lue scēuissima tam crudeliter  
 in omnia membra grassante, priuari: Nonnē hu-  
 manas omnes uincit uires? Nonnē hominem, si non  
 ope diuina sustentaretur, penitus pessundaret? op-  
 primeretq;? Tantum abest ut quispiam in tantis  
 constitutus arumnarum procellis in scribendo di-  
 cendōe curiosius ea quæ ad sermonis structuram,  
 & uerborum elegantiam attinent, obseruare queat.  
 Mutasset forte aliqua si uixisset, quæ consulto mu-  
 tare nolimus; hæc nullam aliam ob causam publi-  
 cantes, quàm quod quasi exemplum quoddam ho-  
 minis uerè afflictī, animiq; omnia aduersa post diu-  
 turnam grauissimamq; cum carne luctam in fidu-  
 cia misericordie Dei propter Christū fortiter uin-  
 centis, extare uolebamus. Scripsit pleraq; (partim  
 deplorandi & mitigandi status sui causa, Ouidius  
 enim ait: Expletur lachrymis egeriturq; dolor, par-  
 tim uero fallendi temporis gratia) circa uitæ sue  
 finem, nam antea non nisi prosa scribere consueue-  
 rat. Huius igitur Balthaseris nostri exemplo omnia  
 aduersa pectore præsentī ferre discamus, solius  
 Christi Iesu saluatoris nostri ope freti. Et quan-  
 quam in lucta nonnunquam animus debilitatur, ut

in

PRÆFATIO:

in hoc Balthasere, Hiobo, alijsq; sanctis uidemus, nō  
 tamen penitus abijciamus, non sinamus penitus op-  
 primi mole malorum, certi quod Deus eos omnium  
 maxime puniat quos diligit, sicut in Apocal: cap 3,  
 dicitur: Ego quos diligo, arguo & castigo. Non  
 enim punit ut perdat, sed ut retrahat nos ad pœni-  
 tentiam, quemadmodum iurat Ezech. 33. Viuo ego  
 nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & ui-  
 uat. Quin & Christus se nobiscum futurum esse  
 Matthei ultimo, pollicetur usq; ad consumationem  
 sæculi. Hac spe confirmati in tribulationibus pe-  
 tamus & expectamus à Deo auxilium, & in uitæ  
 præsentis stadio fortiter curramus, donec æternæ  
 beatitudinis brauium consequamur. Christus Iesus  
 optimi ter maximi filius, extra quem nulla pla-  
 nē salus est, nullaq; Deo uota aut opera (quantum-  
 uis speciosissima ac plausibilia uideantur) place-  
 re possunt, te spiritu sancto suo clementer in uera  
 & perfecta agnitione sui illuminet, teq; ut syn-  
 cèram Euangelij doctrinam non amare tantum &  
 toto amplecti pectore, sed & contra mundi &  
 Sathane scēuientis tyrannidem deposita omni for-  
 midine, metu persequutionis, & præsentis uitæ in-  
 commodorum ex animo promouere possis, exuscis

I s tet,

PRÆFATIO.

let, regat, confirmet, ac tucatur, Amen. Ex Mu-  
seo nostro Tekendorffino, Mense Augusto, Anno  
Millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo.

BALTHASERIS PA-  
MINGERI POEMATVM LIBER  
in medio ærurnarum Oceano  
scriptus.

GENETHLIACON DOMINI ET  
Seruatoris nostri Iesu Christi

**G**Audeat omnis homo, nūc rideat oīs Olympus  
Factorem laudent, cuncta Elementa suum.  
Cuncta salutifera, studijs ingentibus, atq;  
Nunc referat grates, turba redempta cruce:  
Nox etenim scelix cœlo delabitur alto  
Et toto mundo, nox celebranda piē.  
Que poterit satis haud unquā laudariet, in qua est  
Missus ab arce patris, filius ipse Dei,  
Qua sator humani generis, seruator Iesus,  
Præsens sermo patris, prodijt alter homo.

Non

Non mortali semine, nec luteis, uelut ille,  
Qui primū madido, cespite factus erat.  
Sed uerus Deus, hic mortales induit artus,  
Corporeis uitijs, labēq; purus homo.  
Quem peperit uirgo, nullo tactu, temeranda,  
Que penitus nullum nouerat atq; uirum.  
O miranda simul commertia, natus in orbem  
Est summi patris, Filius, atq; Deus.  
Totus de cœlo ueniens, illic quoq; totus  
Existens, totus semper ubiq; manens.  
Ut genus humanum erueret de carcere mortis,  
Omneq; serpentis quod scelus ablueret.  
Ne patris æterni, O sua fabrica tota periret,  
In forma serui crimina nostra tulit.  
Et quia cernua foemineis nunc uipera plantis  
Proteritur, nec habens unde nocere queat.  
Hoc odium uetus illud erat, quod perpetuiq;  
Dissidij causa est aspidis atq; hominis:  
Edere nam semen, quod colla trilingua calec  
Contereret, uenter uirginis aptus erat.  
Dicere quis poterit, fuerint que gaudia matris?  
Quanti conatus? curaq; quanta piē?  
Exiguus pannis inuoluens mollia membra  
Infantem sacris lactat ab uberibus.

AR

**Ad cuius partum mox Sydera signa dederunt,**  
 Aether & cantu personat angelico.  
**Pastores primi noui per miracula docti**  
 Hec miranda nimis, tamq̃; stupenda uident.  
**Quin sua pastores uoluit cunabula scire**  
 Ante pedes matris dum iacet ipse puer.  
**Que sic inueniunt, his, cū Boue iunctū & Asellum**  
 Qui coram Domino procubuere suo.  
**Ast illi puerum æternam Regem uenerantes**  
 Poplitibus flexis, uocēq̃; glorificant,  
**Mirantur præsepia, paruāq̃; tectā Mapalis,**  
**Que sibi nascenti legerat ipse Deus.**  
**Non hic in auro, nec Tyrio requieuit in Ostro,**  
 Lectus ibi nullus, nullaq̃; stragula erant.  
**Sed durum fœnum pueri præsepia munit,**  
 Et teneros artus lintea rara tegunt,  
**Tum easa per paucis, rudibusq̃; innixa columbis**  
 Ipsius & tectum flexile uimen erat.  
**Vix opus hoc totum pecoris quadrabat in usum,**  
 Deciduis pluuijs, flatibus atq̃; patens,  
**Quis referet curas habuit quas sedula mater**  
 Ne quicquam puero posset obesse cauens?  
**Que simul in terra fertur sibi stramine uili**  
 (Quod cibus est pecori) composuisse torum.  
**Quam magna Dei bonitas, supplex ueneranda**  
 Qua carnem assumit filius ipse Dei,

Quem

**Quem sancti uenturum olim cecinere Prophetae,**  
 Optatus nobis nascitur ecce puer.  
**Nascitur ecce puer princeps hominū, atq̃; creator,**  
 Quem uis annorum tangere nulla potest.  
**Nascitur ecce puer referens noua secula mundo,**  
 Pacificus ueniens, pacis & author adest.  
**Quanta soli fuerit tunc gloria nouit Olympus,**  
 Ut se mox niueis floribus induerit,  
**Assyrium dura sudabat ab ilice Amomum,**  
 Et rigidi scopuli roseida mella dabant:  
**Cætera quid sequar? aut cælo data signa? uel ipsam**  
 Stellam fulgentē, quæ fuit orta Magis?  
**Omnia nascenti puero applaudunt, & adorant,**  
 Letatur quicquid sensilis orbis habet.  
**Eheu quam cæca, atq̃; excors Iudæa fuisti,**  
 Quæ Regem fueras ausa negare tuum.  
**Hunc olim tibi (nunc spretū) horrendū experieris,**  
 Cum cernes rigidi Iudicis ora tui.  
**Sed nos mente pia puerum laudemus ouantes,**  
 Quem genuit uirgo non uiolata toro.  
**Talia dicamus syncæro pectore uerba,**  
 Reddamus Regi talia uota nouo:  
**Salue sancta dies, quæ mitteris Aethere ab alto**  
 Te nobis clarā uellera nulla tegant.  
**Salue sancta dies, apportans annua Festa,**  
 Tu cuncto mundo prospera sepe redi,

Ad

# AD PRÆSENTATIONEM

Domini & saluatoris nostri Iesu Christi  
Hecatestychon.

**O** Pie uerbigena, et summi patris inclita proles  
In genitore potens, sæcla per innumera,  
Huius ab usq; sinu susce, & cui conditione  
Aeterna, nunq; diceris esse minor.  
Tu, precor, intuitu placido, quo cuncta serenas,  
Me modo respiciens, percipe uota mea.  
Accipe clementer clemens Deus atq; benigne  
Quæ tibi deuota carmina mente canam.  
Namq; fauore tuo dicam Mystèria quanta  
Præsignata diu, protulit illa dies,  
Qua mater uirgo primùm te sistit ad aras  
Legali ritu, debita dona ferens.  
Quamuis tui Dominus legis, nec subditus illi  
Natus es in mundum, corpore uirgineo.  
Nos tamen, ut fontes, & sub legis maledictio  
Captos, eriperes, ipse piandus eras.  
Sic seruire iugum per te nobis modo ademptum  
Sæcla noua, & legem monstrat adesse nouam.  
Non talem sicut uetus est, sed quam dabit ultro  
Cordibus in nostris, spiritus ille Dei.  
O uos Christicolæ stygia de nocte redempti  
Nunc gaudete, preces concelebrando piæ.

Et

Et subeat uobis quæ gaudia, gratia qualis  
Per puerum nobis sit referata hodie.  
Namq; doli coluber iam plectitur improbus author  
Quo fuit elusum, uirginis ingenium.  
Et grauis (heu miser) quos hæcæ perdidit error  
Hos hodie primùm restituitq; puer.  
Qui semen fuit (in quo omnes gentes benedictæ)  
Olim promissum scilicet Abrahamo.  
Hunc simul agnouit Symeon iustusq; senexq;  
Instinctu sancti pneumatis admonitus.  
Præterea quid dicemus de uirgine matre  
Quæ nulli legi subdita prorsus erat.  
Nil minus (ut mulier quæ semine nixa uirili)  
Ne reliquis posset scandalon esse, cauet.  
Se sic submitit legi, se sic humilemq;  
Præstitit, ut cunctis se faceretq; parem  
Mira in uirgine simplicitas, quæ noluit istis  
In rebus mentem sollicitare suam.  
Sed tales spectare licet quoscunq; fideles  
Diuini replet numinis ipse fauor.  
Quo sine, quicquid homo facit aut molitur ineptum  
Diripit in cæcum pectora nostra chaos.  
His igitur primùm meditatæ, nunc uideamus  
De puero sancto Mystica dicta senis.  
Scilicet ipsius Symeonis, qui quoq; uerè  
Præmonitus, sancto pneumate plenus erat.

Certus



Certus erat se non uisurum fata suprema,  
 Ni Christum Domini, cerneret ipse prius.  
 Quem simul ac hodie proprijs gestasset in ulnis,  
 Vaidico laudes incipit ore pios.  
 Tot titullis ornat puerum, tam multa stupenda  
 Prædicat, ut multis fecerit ipse fidem.  
 Quò magis hunc ipsum uerè talem faterentur,  
 Quod decus atq; salus sit populi Israël's.  
 Qui fuerat precibus toties olimq; petitus,  
 Cui quoq; Iessæ stirpe oriundus erat.  
 Scilicet ut genus humanum de carcere mortis  
 Eternæ eriperet, iungeret atq; sibi.  
 Talia commemorans, simul et matri benedicens,  
 Quæ illa de puero sintq; futura refert,  
 Ut qui paruo contentus, neq; regna, nec aurum  
 Concupiat, longè quem meliora manent.  
 Qui simul ut princeps sapiens, uerbo quoq; solo  
 Iusticiæq; tenax, sceptra paterna reget.  
 Quo duce tunc gentes alios assumere mores  
 Discant, qui statuet foedera sancta suis.  
 Cuius et auspicio ductuq; miserrima rerum  
 Nostrarum stabunt in meliore loco.  
 Scilicet, ultrò cum se tristibus offeret Aris.  
 Hostia sacrilega mox ferienda manu.  
 Tale nephas, faciet gens improba degener atq;  
 Ne uel scelus infandum gens adeoq; sua.

Quand

Quandoquidem multis in scandalon atq; ruinam  
 Quo impingat mundus hic puer est positus.  
 Et nimium pauci fidei qui lumine ducti  
 Hunc Christum agnoscent atq; sequentur eum.  
 Hinc Symeon miseræ memorat præfagia matri,  
 Cui puer hic luctus causa futurus erat.  
 Nam quantos luctus, gemitus, et tristia quanta  
 Pertulerit uirgo, nemo referre potest.  
 Ut quæ non solùm uidit tot iniqua, sed ipsa  
 Tunc pueri consors anxietatis erat.  
 His ergo rebus quis non commotus amarum  
 Ingemat? et tantis condoleat uis malis?  
 Nimirum silice, et duro prognata Adamante  
 Mens hominum, rabidas inter et orta feræ.  
 Cui malus affectus sic lumina clausit, ut inde  
 Diuini possit non meminisse boni.  
 At tu summe Deus nostros miserate labores,  
 Qui Dominus uis solus es atq; necis,  
 Qui natumq; tuum cælo demittis ab alto,  
 Quò nos portaret conciliando tibi.  
 Quæsumus ipse uiues ne nos terrena retractent  
 Abs te, quem solum mens generosa petit.  
 Et faciles cursus præstes, culpamq; remittas,  
 Hoc hodie uotum ne sit inane faue.  
 Utq; tuo (in cineres ubi flamma resoluere orbem)  
 Possimus uultu liberiore frui.

K

ELE-

ELEGIA AD CLARISSIMUM VIRUM  
VITUM THEODORICUM ECCLESIASTEN  
NORIMBERGENSEM, ANNO 44.

**E**Rgo erat in fatis mea quum uix esset in herba  
Ætas pubescens, dotibus aucta suis,  
Vt cito, uel miserè flos ipse periret, & huius  
Expositus mundi casibus occiderem?  
O seuæ leges, superùmque inuicta uoluntas  
Quàm nihil humanum constituere diu.  
O decus atque uigor, nunquam reparabilis æui,  
Instar qui nebulae tam properè interijt.  
Nam modo si cordi est sortis meminisse prioris,  
Per placidum naret dum mea cymba mare,  
Et mihi dum licuit nucibus lussisse puello,  
Dum fruerer uotis arbitrioque meo,  
Ad Musas sacras, & diuæ Palladis artes  
Currenti calcar, non minus acre fuit.  
Adde quod æquales inter non ultimus essem,  
Quos uerè laudis sollicitaret amor.  
Nec bene finieram quartæ trieteridis annos,  
Nec uitæ candor fluxerat ille meæ.  
Atque ita cum teneræ in primo seruore iuuentæ  
Essem morborum nescius atque mali:  
Heu misero mihi quàm subito & crudeliter haussit  
Pfora prometheis dolia plena malis.

Cuius

Cuius ego aspera iura tuli tot perditus annos  
Hactenus, ut mirer, me potuisse pati.  
Illa meo uictrix iniecit uincula collo,  
Corporis & dotes abstulit, illa tenet.  
Et tot per casus miserum iactauit acerbos,  
Vt nunc ipse sua uoluar ad ima rotæ.  
Non sic piscis edax fallaci luditur hamo,  
Nec sic Nictymenæ decipiuntur aues,  
Nec sic præcipientes labuntur fluminis undæ,  
Vt decus omne meum diruit hora breuis.  
O fors ô nimis & duri inclementia fati,  
Quid iuuat è nostris nomen habere malis?  
Quid uero infœlix nunc tanta pericula narro?  
Aut quid fortuna de leuitate queror?  
An magis ætatis temeraria facta prioris  
Damnem? uel lachrimis prosequar ipsa meis?  
Forsitan occurrent puerilis crimina culpa,  
Nescio quid cogor subdubitare tamen.  
Nam puer existens puerorum more ferebar  
Quod (licet inuitus) nunc iterare uolo.  
Non ibo inficias, leuibus me plurima nugis  
(Quæ me iam fugiunt) posthabuisse bona,  
Non tamen ullius (contempto numine diuum)  
Horrendi sceleris, conscius ipse mihi.  
Et quia me genitrix hominem non effera partu,  
Nec rabidas inter protulit illa feras.

K 2

Omnia

**O**mnia cur igitur temerè in simulem mea facta,

Et teneram uitam? crimina si qua patent.

**V**t sic immeritò, quæ non sint, nec fuerintq;

Dicantur tanti causa fuisse mali.

Mitto arcana Dei, nec per scrutarier ausim

Quærere quæ mentis Relligio ipsa uetat.

**N**e demens ego sim quoq; quum sic talia frustra

Conor uestigans, quæ minus ipse probem.

**E**t quum nequaquam summi clementia Regis

Iusticia careat, quod fera corda negant:

Ipsius an leges stabilis quas continet ordo

Præfixam poterint deficere ante diem?

**Consolatio Viti** His ò Balthesar est contra sentire nefandum

Nil fers, si rectè, colligis ista, noui.

**Theodoro** Quod si etiam scieris sarciri perditam quondam

(Vt nequeunt) tamen hæc sunt toleranda tibi

Ergo, quod amissum est, incassum quærere cessa.

Nec semel extinctas quærere perge rogas.

**D**esinto tandem questus in pectore inanes

Voluere, an hæc spes est, & tua quæ so fides?

**N**ullaq; in humanis cum sit constantia rebus

Quid dubitas? & quid uult timor iste sibi?

**A**bsit, ob hæc quæ nunc pateris charissime fili

Vt curæ credas te minus esse Deo.

**Q**uin magis ipsius mentem perpende benignam

Nam quem castigat, diligit ipse simul.

**S**ed nec te solum tot acerba tulisse putabis.

Hæc eadem multis fors obeunda fuit.

**T**u letare magis quem numina magna tuentur,

Te patris æterni præmia certa manent.

**A**cribus & iustis pariter, rationibus urges.

Quò possis cæpta me reuocare uia.

**H**is quoq; conaris repetitos frangere luctus,

Spemq; bonam leta samere fronte iubes.

**A**st ego deiectus tanta asperitate malorum,

Non potui gemitus dissimulare graues.

**N**on equidem aduersor tibi uir genere se monenti,

Qui plus iudicio candidiore uales.

**T**u ueniamq; precor des si qua indigna loquutus

Essem: nec noceat lubrica lingua mihi.

**T**empore quo mea præcipitem me fata dedere,

Non es postremus qui mihi præstat opem.

**O** quoties memini te nostra sorte dolere,

Atq; animum æruanis sollicitare meis.

**E**rgo dum me lux alet, hoc perdiscere nunquam

Quibo, ut te possim corde abolere meo.

**Q**uippe & amicitia me cogit longior usus.

Te semper solem ceu redamare patrem.

**H**is at ne scriptis sim plus uerbosior æquo,

Hactenus & teneant continuata modum:

**I**nterea precor, ut saluum pater omnipotens te

Conseruare uelit, tempus in omne suum.

**Balthesar  
respondet**

## ALIA ELEGIA.

**F**œlix atq; iterum fœlix est qui tenet æquam  
 Mentem, et in aduersis, constat ubiq; sibi.  
 Fœlix qui rebus, licet aduersis animosus  
 Apparet, rerum nec timet usq; uices.  
 Non animo in dubia fortuna linqitur æger,  
 Sed ridet tumidum, dum uidet ille mare.  
 Non secus is & læticiæ moderatur habenas,  
 Si cautus fugiens, uicerit ille mala.  
 Et quanquam aduersam cogatur uiuere uitam,  
 Non tamen ipsius, frangitur unquam animus  
 In fœlix ego; plus Aloes quàm mellis habentem  
 Omnino scæuus, me dolor exagitat.  
 Nulla quies misero, spes nulla relinqitur ægro,  
 Quæ minuat morbum, mæstiq; corda leuet.  
 Quæ bona sunt fugiunt, mala uero tenatius hærent  
 Tempore succrescens, ingruit omne malum,  
 O uitam nimum miseram, ô crudelia fata,  
 Cur mihi speratam ferre negatis open?  
 Omne animal medicamen habet quo nouit & uti,  
 Solus homo nescit, consuluisse sibi.  
 O nimis infœlix ego quæ me læna malorum  
 Obruit? & secum sustulit omnè bonum.  
 Quodq; sui quondam, nunquam sum penè futurus,  
 Namq; dies læti præterière mihi.

Non

Non sic effugiunt caua nubila, quum exagitantur  
 Ventis, aut ripas flumina sic fugiunt.  
 Non simili lapsu decedunt somnia uana  
 Noctis, quum somnus desinit esse simul.  
 Vtrum uita magis? quæso hæc, an lenta uocanda,  
 Mors est? qui mortis nunc simulachra gero.  
 Lumina consuetos somnos de nocte uidere  
 Raro solent, oris nec manet ipse color.  
 Amisi succum, macies in corpore toto est,  
 Cernere perq; cutem, singula membra queas.  
 Conficit articulos morbus, uix osibus hæret  
 Corpus, uix illud spiritus æger agit.  
 Cætera prætereo, quia in æquore Phæbus anhelos  
 Antea tinget equos, quàm prius omne loquar.  
 Herculis esset opus, qui hinc morbû (sicut et hydrâ)  
 Nunc face deprimeret, denuò ne redeat.  
 Sed mors cunctorum finem dabit ipsa malorum,  
 Quam simul in foribus, nec procul esse reor.  
 Nunc ubi non sum qui fuerim, cur uiuere poscam?  
 Post obitum tandem quod reparare licet.  
 Nam quicumq; domum putrem, casamq; minantem  
 Fulcit, dicetur mentis habere parum.  
 Aut uelut in naui quæ sentinam trahit, unam  
 Post aliam rimam iugiter obstruimus.  
 Pluribus utq; locis laxari cæperit ipsa,  
 Irritus & nihili tunc labor omnis erit.

K 4

Sic

Sic superante lue, & quum vires corporis æquæ  
 Decedunt, nihil tunc medicamen erit.  
 Nunc mea, me posito in duro discrimine vitæ  
 Membra negant, ultra munus obire suum.  
 Sedulo dum licuit, pugnatum est arte medendi,  
 A lue victa tamen, iam medicina iacet.  
 Non ego credo Hydræ toties capita esse renata,  
 Vt miris pestis, pullulat ista modis.  
 Nil præter uiuum, tabo stillante, cadauer  
 Sum miser: usq; adeo transijt omne decus  
 Musæ duntaxat misero solatia præbent,  
 Cætera sunt misero cuncta perçsa mihi.  
 Quid prodesse mihi queat ultra, corpore toto  
 Desitio? læti præteriêre dies.  
 Quod reliquum est vitæ Christo sacrare studebo,  
 Dum rumpant diræ tristia fila Deæ.  
 Cui debemus quæ primùm donauit & inde  
 Quæ nobis gratis, reddidit ipse quoq;  
 Christe Dei fili qui iustus es arbiter æui,  
 Quem supplex, semper cœlica turba colit,  
 Qui regis æthereas sedes, quem nulla uetustas  
 Temporis attingit, quem tremunt omnes solum:  
 Ad te confugio, qui nostra redemptio solus,  
 His inuictæ malis, me eripe de tenebris.  
 Quæso mihi sis auxilio, nec pestibus illis  
 Oppressum penitus, desere me miserum.

146

Fac bonitate tua, lætus, te uindice tandem  
 Totus ab hisce malis, liber ut esse queam.  
 Sufficiat semel ob facinus mortem meruisse  
 Plasma tuum: dele crimi na fontis Adæ.  
 In nihilum ruat omne malum, morbiq; furores,  
 Est mea, namq; tua, culpa luenda, cruce.  
 Vt post hanc miseram & peiorem carcere uitam  
 Me facias uita prosperiore frui.  
 Amen, Amen:

ALIUD CARMEN  
 querulatorium de suis ærumnis.  
 Primus uersus est Heroicus. Se-  
 cundus Iambicus Catalecti-  
 cus, sicut

u - u - u - - . Vel u - u - u - - . etiam  
 primo loco nonnunquam - - .

Vt nihil esse potest ex omni parte beatum?  
 Pròh sæculum caducum.  
 Omnia dum fato fiunt, durabile quicquam  
 Sperare non licebit?  
 O anni dulces o tempora dulcia uitæ  
 Fleu floridam iuuentam

K 5

IN

In tantum mihi iam spatium perijisse ualentem,  
Vt illius priusquam  
Commoda, uix poteram summis attingere labris,  
Iam corporis fatiscunt  
Membra, & mille meæ sumunt contagia uires,  
Nec prima me iuuentæ  
(Omnis quæ puer ut tenera lanugine uernat)  
Pubes, adhuc tenebat.  
Ecce tot ærumnæ male sani corporis, ecce  
Mare, tot simul malorum  
Ingruit, & subito meæ carpit gaudia cuncta,  
Carptimq; deditq;.  
Et decus & formam, uires, tum corporis huius  
Tenerrimumq; succum.  
Atq; meæ uitæ igniculum decerpit, & aufert.  
O fata quàm maligna.  
Nomine sum solus deleuit cætera tempus,  
Ingens luesq; morbi,  
Quæ nullis sanari depellimè medelis  
Poterat quidem uel unquam,  
Non aliter quàm si circum quem plurimus ignis,  
Incendiumq; flagret,  
Quem nemo possit tantis educere flammis,  
Qui sic periret atq;.  
Aut ueluti (si magna licet componere paruis)  
Arbor suas profundè

Quæ radices egit, quis euellere frustra  
Quis tentet, ac laboret:  
Sic immota manet mea crudelis Cacoëthes,  
Nec me uel ipse Chiron  
Si propria sanare manu cupiat, tamen isto  
Possèt leuare morbo.  
Heu miserum me, qui nulla sanabilis arte  
Sum, sic perire tandem?  
Heu medicorum perfidiam qui sæpe uenenis  
Ægris solent mederi.  
Qui quædam non intelletis nomina morbis  
Ponunt, quibus potestas  
Excruciandi homines, egros impunè necandi,  
Nimis sed ista sero  
More Phrygum nunc incipio discrimina uitæ  
Recogitare frustra.  
Sol oritur nouus, & pulchro iuueniliter ore  
Extincta luna rursus  
Prodit, sed me non permittunt inuida fata  
Emergere hac malorum  
Illuic, quibus undiq; sum circumdatus ipse,  
Veruntamen supremum  
Mox ærumnarum faciet mors proxima finem.  
Porro mihi misello  
Quicquid fata eui superesse uolent, simul illud  
Christo dicetur omne,

Vsq; opifex rerum Deus & dominator Olympi  
Animæq; restitutor,  
Ad uitam, uita, reuocabit denuð, sanctum  
Hoc corpus atq; mentem.

PVERILIS ET PER  
breuis descriptio educationis Leo-  
narti Pamingeri Musici præ-  
stantissimi, Patris sui  
charissimi.

**H**actenus in studijs uarijs, puerilibus atq;  
Hærens inde stylum uertere tendo meū  
Eximia uirtute patrem, patrios & honores.  
Est animus calamo, nunc pererrare meo,  
Vt uerò dignè laudes exordiar istas,  
Phebe tuis monitis lætus adesto mihi.  
Tuq; adsis cythera insignis, cui deniq; totus  
Musarum assurgit, Pieridumq; chorus.  
**Aschach** Primæ Pannoniæ locus est primis & in oris,  
**Leon: Pat** Iachi muneribus fertilis ille locus,  
**mingeri** Pontiacens Istrum (qui nomine dicitur Aschach)  
**patria.** Quem præter rapidis labitur annis aquis.

Illic

Illic Leonartum integri genuère parentes  
Illic uagitus edidit ipse suos.  
Hocq; die est natus quo mundi machina facta, &  
Ipse Deus placidam capit habere quietem.  
Offertur Christo, sacroq; in fonte lauatur,  
Donatur uita, qui modo mortis erat.  
Huc Charites coière Deæ, fœlix erat ortus,  
Arrisit puero doctus Apollo quoq;  
Prædicunt autem quidam huic puero esse tenendã  
Pertenuem uitam, pauperieq; grauem.  
Sed metam statuunt illi, sinemq; laborum,  
Et sperare iubent præmia certa uirum.  
Omnes Germanæ, frater, pater huic quoq; ualde  
Asper erat, mater sola benigna fuit.  
Multa tulit puer, & primis nutritus in annis  
Est nimium parcè, pertenuiq; cibo.  
Indelares patrios decimus quum tangeret illum  
Annus, dimisit, uix sibi dulce solum.  
Illum protinus excipit urbs præclara Vienna,  
Hæc format mores, ingeniumq; suum.  
Indolis illius uis tantum accreuit, ut amplam  
Spem de se ignotis fecerit, atq; suis.  
Ecce autem grauitè fortuna exercuit ipsum,  
Quæ ingenijs magnis sæpe nocere solet:  
Ferre famem didicit, auros & ferre labores,  
Paupertas semper ualde grauabat eum.

Finibus

Rinibus in patrijs errabat tempore longo,  
 Et patris auxilio præsidioq; carens.  
 Inde Salisburgam uenit, qua crebrò uicissim,  
 Temperie mixta, Iuppiter ipse pluit.  
 Hisq; locis pariter fortunam expertus acerbã est,  
 Quam tolerando leuem reddidit ipse sibi.  
 Tunc uero instabat tantorum meta malorum,  
 Quin & fortune spes melioris erat.  
 Nam non longè post, patrias remeauit in oras  
 Et petijt fines clara Vienna tuos.  
 Hæc q; magis fruitur fortuna & Apolline dextro  
 Hic q; illi in literis laurea prima datur.  
 Quid candorem animi, quid morum dexteritatem  
 Prosequari ingentes res petit ipsa sonos.  
 Nullo usus duce, sed diuino percitus Oestro  
 Harmonias didicit iungere dulcisonas.  
 In patria multa, & suauissima carmina lusit,  
 Ingentiq; auxit nomen honore suum.  
 Post ubi Danubio se miscet uitreus Oenus,  
 Huc se (diuino numine forte) tulit,  
 Hæc hodie indoctam magno sudore iuuentam  
 Instruit, hæc Christo carmina grata canit.  
 O dulcis Genitor doctis celebrande Camænis,  
 Quis poterit laudes enumerare tuas?  
 Quo pacto dignè referam tibi munia laudum?  
 Quando mihi Musa carmina docta negant?

Leonar-  
 tus Pamin-  
 ger Patas-  
 niam ue-  
 nit.

Deficit

Deficit hic animus, nec possum dicere plura,  
 O pater imprimis semper amande mihi.  
 Da ueniam precor hisce meis puerilibus ausis,  
 Te sanè nequeo dicere digna satis.  
 Sit puerile licet: reprehendi tam leue carmen  
 Maluero studium quàm nihil esse meum.  
 Nam me scelicem dico, dicamq; beatum,  
 Si modo non uidear displicuisse tibi.  
 Tu clarus uirtute tua, nec uersibus istis,  
 Laude nec alterius clarior esse potes.  
 Quin quoq; scelix ingenium sortitus & arte  
 Quauis perspicuus, quod petis intus habes.  
 Edoctus certè sacras Heliconis ad undas,  
 Quò faciles aditus nocte dieq; capis.  
 Hinc te (quod notum est) totū iam penè per orbem  
 Eximiam fecit nomine fama uirum.  
 Quo permoti te multi coguntur adire  
 Cordaq; cernendo uix saturare queunt.  
 Cætera quæ restant, & quas tibi debeo grates,  
 Tunc reddam quando maior ero ingenio.

AD EUNDEM HEXASTY-  
CHON.

Quas tibi trāscribo pater o dulcissime laudes  
 Quamuis sint humiles, grato aîo accipias.  
 Non



Non me præterit ingenij quàm uiribus impar.  
Ad res sim tantas, quas uolui exprimere.  
At mihi si tantum Musis præstabitur olim,  
Digna tuis factis, & grauiora canam.

DECASTICHON B,  
Pamingeri in laudem carminum,  
Leonarti Pamingeri, patris  
sui charissimi,

**Q**uisquis amat suauēs cōcentus atq; Camenam  
Dulces, quæ Thymele carmina dulcis amat  
Quale uel augur Apollo canit testudine sumpta,  
Carmen, quod resonant Aonidesq; deæ.  
Hoc opus elige mellissuum Leonartus ut ipsum  
Nunc Pamingerus, præstitit arte sua.  
Est hic utilitas summa, & nitor undiq; summus,  
Et mixtum magna cum grauitate decus.  
Auctori grates igitur retulisse iuuabit  
Innumeras, ferre & nomen ad astra decet.

AD REVERENDVM DOMINVM  
Valentinum Göttinger Antistitem cænobij D.  
Nicolai extra mœnia Patauis, Meæ  
canatam suam.

Salus

**S**alue Mecenas doctis celebrande Camenis.  
Atq; iterum felix nomine uiue meo.  
Iamdudum statuere meæ tibi carmina Muse,  
In laudes, modulis, dicere pauca tuas.  
Sæpe meæ tenues tua testa subire uolebant  
Pierides, uerùm non potuere bene.  
Nunc uero ueniunt tandem positoq; pudore  
Te dulci dignum semper honore colunt.  
Cur autem tua nunc ausint loca rursus adire.  
His breuibus uolui significare modis:  
Multa quies homines tenuit, pictasq; uolucres,  
Presserat & pecudes, undiq; somnus iners.  
Me miserumq; quiescentem tunc lectus habebat.  
Et raro somno, penè sepultus eram.  
Ecce sub obscuro gradiens tua uenit imago,  
Protinus ante oculos, astitit illa meos.  
Et pudibundo dum me cerneret ore tacentem,  
Verbis tam blandis, me prior alloquitur.  
Cur memè (dixit) cur compellare uereris?  
Ne timeas, uotis ipse ero præsto tuis.  
Me simul optatum inuenies & semper habebis.  
Quando meam & quotiescunq; rogabis opem.  
Non ego (me quamuis dominum fortuna creârit)  
Sperno, clientelam qui subire meam.  
Dixerat, ac unâ cum uoce recessit imago,  
Inq; leues auræ, protinus ipsa abiit.  
Excutio somno, tantumq; fuisse figuram  
Disco, quæ formam sit meditata tuam.

Sed quia nunc abiit, Musis mandare uolebam  
 Hererent animo qualiacunq; meo.  
 Et uolui monstrare incomptis uersibus istis,  
 Quas grates cupiam sponte referre tibi.  
 Partim quo studio, partim autem qua quoq; mente,  
 Deuinctus reddar, uir uenerande tibi.  
 Territus hisce tuis meritis quae tanta uidentur,  
 Vires ut superent, ingenianq; mecum.  
 Quicquid amore mei capiebas namq; laboris,  
 Est infinitum si memorare uelim.  
 Contra quam nihil sim iam satis experior, dum  
 Me pede forte domi, metior ipse meo.  
 Hinc tibi quae scribā (sic me pudor inficit omnem)  
 Ignoro; Musae carmina docta negant.  
 O utinam medios inter mihi uiuere uates  
 Effet concessum, & grandia scripta sequi.  
 O utinam me nutrifset Dircæus Apollo  
 In proprio gremio, Pieridumq; choro.  
 Namq; tuas laudes hinc usq; ad sydera caeli  
 Ingenio ferrem, carminibusq; meis:  
 Sed quoniam uatum mihi munera cerno negata  
 Nec mihi Parnasi, blanda fluentia patent,  
 Haec alijs (licet inuitus) cantanda relinquo,  
 Qui plus ingenio carminibusq; ualent.  
 Nam tua me uincit probitas & uiuida uirtus,  
 Quae quondam est scriptis non bene picta meis.  
 Nec quoq; pro meritis tibi grates nosco referre,  
 Tu ueniam modulis, da precor ergo meis.

Sit

Sit puerile licet, gratum tamen istud habeto  
 Carmen, sicq; mei tu meminisse uelis.  
 Muneris utq; mei est: dum pars manet ultima uitae,  
 Pectore te nemo diluet hercle meo.  
 Ante suos cogent requiescere flumina cursus,  
 Quam nomen cesset concelebrare tuum.  
 Hic modo quod rectum teneant mea carmina sinem,  
 Longior aut ne sim, uir celebrande uales  
 Te quoq; saluum ac incolumem latumq; reducat,  
 Qui regit empirij, templa beata poli.

CONGRATULATORIUM CAR-  
 men in aduentum eiusdem D. Valentini Göt-  
 tingeri Mæcenatis sui.

Syderis o decus & Veneri pergrate decoro  
 Ignea tu nobis Lucifer astra fuga.  
 Iam matutinis cristatus cantibus Ales  
 Ceruleo auroram suscitatur è thalamo;  
 Stelligeriq; poli lux formosissima Phæbe  
 Umbriferam noctem, pelle tuis radijs.  
 Noxter enim ignotas Mæcanas deserit oras,  
 Et sua felici numine testata petit.  
 Ipse meis tua mox cumulabo altaria donis,  
 Balsama cum Myrtis, & pia Thura dabo.  
 Et tu, ne mihi sint mea gaudia uana reddito,  
 Sitq; dies uerax uir reuerende mihi.

L :

Qua

*Qua mihi, te mea spondebat mens, adfore, saluum.*

*Qua nihil atq; mihi gratius esse potest?*

*Quid magis optatum posset contingere nobis?*

*Quidue tuo aduentu, letius esse queat?*

*Nil ultra cupimus modo tu praesens fuerisq;*

*Et te si saluum respiciantq; tui.*

*Et quia, te dicunt nunc nostras tendere in oras*

*Fiunt aspectu cuncta serena tuo.*

*Cura tui subijt, nec fido corde recessit,*

*Cum peteres primi Pannoniae arua soli.*

*Non magis infelix Thibae dilexit amantem,*

*Nec magis Euadne commoritura uiro.*

*Non adeo toruoq; armatus Gorgone Perseus*

*Sollicitus monstro liberat Andromedam,*

*Vtq; tui interea me coeperat anxia cura,*

*Quae mecum semper nocte dieq; fuit.*

*Nunc iterum quibus ipse modis huc inde reuersum*

*Te dignè possem, me letet, excipere.*

*Nam nostro exiguae quam sint in carmine uires*

*Cum subit, ingenuus me tenet inde pudor.*

*Aula quando mihi parnasia peruia fient,*

*Tunc maiora canam, te quoq; digna magis.*

#### ALIUD AD EUNDEM.

**N**on ita gaudebat patria ut tetigisset Iason

*Littora, phrixæ uellera adeptus ouis.*

*Nec magis ipse Paris quondam letatus ab Argis*

*Cum redit aduersa ad Pergama Tyndaride.*

*Vt tuus aduentus me reddidit exuberantem,*

*Qui mea tum semper maxima cura fuit,*

#### ALIUD AD EUNDEM.

**V**enit Io, summa tandem de sede tonantis  
*Leta dies, uotis mille petita melo.*

*Audit Io Christus, facilis, pius atq; precantem*

*Iusta, nec incassum, fundere uota tulit.*

*Leticiae dare signa iuuat, uos cedite curae*

*Sic etenim suadet, Liber & alma Ceres.*

*Vosq; Dionaea, mea cingite tempora, Myrto*

*Nunc decet & Phaebo, thura adolere pia.*

*Huic exorato, sacris & rite paratis,*

*Quod uouit tandem, perficere est animus.*

*Quisquis adest mecum properet solennis ad aras*

*Adferat, & tepidis, grana, Sabaea focis.*

*O Sol qui nitidum radijs fulgentibus orbem*

*Lustras, atq; foues, lumine cuncta tuo.*

*Qui solus quoq; Princeps lucis es, & moderator,*

*Flammiferos uultus ore micante ferens.*

*Qui nobis caelo labentem perficis annum,*

*Et reuehis motu, tempora cuncta tuo.*

*Cor caeli simul & mundi mens diceris esse,*

*Qui uegetis quicquid sensilis orbis habet.*

*Et per te color, & rerum formatur imago,*

*Crescere tuq; facis, quae generantur humo.*

*Per te temperies, calor, imbres, frigus & aere*

*Singula mutantur, continua serie.*

Magna tibi à superis ò sol concessa potestas,  
Cum nutu fiant ista repente tuo.  
Quo tibi dignus honos statuatur, nescio prorsus,  
Vnde queam laudes enumerare tuas.  
Quicquid enim poterit dignum & laudabile dici  
Hoc tibi nemo negat contribuisse Deum.  
Cui sit gloria, laus, decus, atq; potestas,  
Qui sine fine regit cuncta creata simul.

ALIUD AD EUNDEM.

**A** Therea uita tibi donet gaudia Christus  
Mecenas doctis docte canende modis.  
Cuius sancta fides, pietas, & prompta uoluntas  
Quam fers erga inopes, prorsus ubiq; patet,  
Cui meus & tristis status est iam cognitus, & fors  
(Vt uideo) rebus pernitiosa meis:  
Te precor afflictì moueant mala supplicis, et hanc  
Affer opem, quam te iam puto posse dare,  
Quicquid consilij, quicquid solaminis abs te  
Quicquid contingi posset habemus opis.  
Pecior & (ut uideo) mihi fors obeunda fuisset,  
Si non ærumnis sis medicina meis.  
Nam fera, consilium, uincit uolentia morbi,  
Vt mea res alio non queat esse loco.  
Quot mala quæ nunc circumstant si nosse labores,  
Omnino numerus me fugit atq; genus.  
Sed mihi quantum condoleas ostendis apertè  
Quum tribuis nulla, nostra petita, mora,

Hinc

Hinc quoniam uacuus nunquam à te penè recedo  
Sæpe fit ut posito multa pudore petam.  
Quicquid at auxiliij abs te flagito significabit  
Is coràm qui nunc obtulit ista tibi.  
Me quoq; polliceor memorem fore, iussa nec ulla  
Contemnã, quæ non sponte subire uelim.

AD D. CHRISTOPHORUM

rum Collinam in Mathematicis præceptorum suum.

**P**eritacunde mei fautor, simul inter amicos  
Omnes quos habeo mihi uicundissime longè  
Nomine te nostro multum saluere iubemus.  
Sæpe ego tentavi (male sim licet ipse disertus)  
Te compellare, & meritis pro grandibus in me  
Reddere (re licet hoc nequeam) quas debeo grates.  
Hactenus ast feci minime, quamuis uoluissim,  
Nec mea conditio passa est me scribere quicquam  
Te dignum, mentem nec nostram testificari  
Erga te gratam, admiserunt inuida fata.  
Hanc ergo ob causam quæ me sic est remorata,  
Nil timui magis, ingratus quàm ne reputarer,  
Noui etenim quibus & quantis studijs tibi totus  
Deiunctus reddar, contra quoq; quàm nihili sim,  
Si paribus uellem meritis contendere tecum.  
Hinc (me ne saltem te neglexisse putares)

L 4

Hec

Hæc mandare meis uolui efficienda cæmentis.  
 Nimirum nostro tibi nomine ferre salutem  
 Atq; moræ nostræ causam tibi significare.  
 Ecce autem quàm difficiles, quàm pene coactæ  
 Hæc peragant, quàm formident tua limina adire  
 Norunt exiguæ quàm sint in carmine uires  
 Non nitor, aut dicendi gratia, paupere uena  
 Cuncta fluunt, sine præceptoribus & sine lege  
 Quicquid id est didici, nihil est quoq; quod sapit artē  
 Propiærea ignoscas si quæ male forte coherent  
 Quæso, & cætera quæ restant audito benignus.  
 Magna quidē ratio est, quæ me mouet, et facit, ut te  
 Pro meritis & amare tuis inducar, & omni  
 Affectu colere & uenerari, namq; fidelis  
 Discipuli est summo studio redamare magistrum  
 Cuius es offitio in me functus ualde benigne,  
 Quid referam ingenuos mores? quid singula dicam  
 Quæ meditata tibi certa ratione geruntur,  
 Qui cursumq; uagi solis, qui fulgida cœli  
 Tam docto sermone refers, metiris & astra.  
 Qui numeros omnes in summam colligis unam  
 Tam subito, & ratio per te solidescit ad unguem.  
 Non possum te non amplecti pectore firmo,  
 Talia cum memoro, & quoties in mente reuoluo.  
 Et quoniam tuus è cunctis se partibus in me  
 Dulcis amor toties effudit, nec uoluisti  
 Nuper ut audieras quanto in discrimine uitæ  
 Ipse forem, miser uam me linquere, sed magis illis

QUE

Quæ paciebar, sic mecum tu condoluisti  
 Vsq; meolateri assistens spectator adesse.  
 Quin etiam monitis sanare fidelibus ægrum  
 Tentasti, & tristes è corde reuellere questum.  
 Quæ tibi pro tanto referantur munere grates?  
 Quicquid amore mei capiebas, namq; laboris  
 Hoc infinitum, nec uerbis dicere possum.  
 Ergo terra prius, terræ quoq; lucidus Æther,  
 Ignis aquæ, simul omnia commiscuntur in unum  
 Quàm semel ex animo incipias decedere nostro.  
 Me quoq; pro libito (si quid prodesse uidebor)  
 Vt te, certè non deerit mihi prompta uoluntas.

#### AD EUNDĒM DE NATURA PLANETARVM,

**S**i licet in quantum indulget sua cuiq; Minerva  
 Scrutari, innumeras rerum causas, & earum  
 Vires, iuræq; naturæ quæ nosse ualemus  
 Non prohibente Deo, quis non mirabitur istas?  
 Vt luna quæcunq; globo subiecta, regantur  
 Astrorum arbitrio quasi furor incitet Oestro  
 Pectora, quos etiam affectus errantia septem  
 Sydera nascentum moueant animis, referantq;  
 Hæc quoniam uires illis pius indidit Author,  
 Hinc tristes, tardosq; senes, fœdos & auaros,  
 Comestores, prægrandes, inopesq; superbos,  
 Mendaces, peruersos, ingenioq; ualentes,

L f

Seductio

Seductores & fures, hominesq; profundi  
Consilij, atq; aliorum qui consortio abhorrent,  
Osore, etiam qui sunt ira immoderati,  
Frigida scilicet hoc Saturni stella maligni

4. Temperat, ast contra sunt præclari, atq; modesti  
Magnanimi simul, & solum quos diligit aurum  
Magnates fortesq; uiri, sanctiq; Senatus,  
Legum doctores, quibus addeq; religiofos.  
Et qui iusticiam obseruant, rectiq; tenaces,  
Natura mites, & in aduersis patientes,  
Audaces pariter, solertes, atq; fideles.

Principum amatores, & agendis rebus ad unguem  
Nati, sic quoniam magni Iouis imperat astrum.

7. Hij uero, qui omni pietate fideq; remota  
Lege, modo ratione carent, hominumq; Deumq;  
Contemptores, infames, & luxuriosi,  
Consilio segnes, lurcones & furiosi,

Qui semper belli cupidi, cupidiq; cruoris,  
Vulnera ridentes, per nulla pericula uadunt,  
Latrones, & inhumani, faciemq; rubentes,  
Sanguinei, & deformes uiribus atq; ualentes,  
Barbari & immanes, crudeles, fraudeq; pleni,  
Tales nimirum stimulat Mauortus ardor.

8. Sunt quos commendat præstantis gloria forma,  
Moribus egregijs, censuq; & honoribus aucti,  
Reges atq; Duces, maiorum sanguine ab alto  
Descendentes, qui ueræ uirtutis, & acri  
Ingenue mentis ratione ad sidera tendunt,

Detestantur mores & fera facta malorum;  
Atq; pios adamant, & rite adamantur ab illis.  
Insignes animo, qui omnes sub Sole locantur.

Porro sunt qui delitijs luxuq; uacantes,  
Otia, blanditias, leuium solatia rerum,  
Bassia, carmen amant, generosa negotia speruunt  
Et pariter molles, uerbis seducere docti  
Vero posthabito, nec periurare uerentur,  
Gaudent unguentis, alijs quoq; rebus odoris,  
Purpureis filis, gemmisq; utuntur & auro,  
Hos etenim sensus Venus inserit aurea natis.

9. Donat Mercurius citheras, & carminis artem  
Eloquio doctos donat formamq; ualensq;  
Corpus & ingenium uulax, uocemq; canoram,  
Prudentes homines, catos atq; ingeniosos,  
Qui multa experti, quæ sint præsentia cernant.  
Quiq; futura uident, qui perscrutantur & astra  
Et rerum artifices pariter signantur ab ipso,  
Quin mercatorum & sicum fertur Deus esse  
Hij demum, titulus splendoreq; nobilitatis.

10. Qui uario rerum uariarum stamine formas  
Vestibus auratis, Tyrio uel Murice gestant,  
Et quibus Attalicis opibus, gemmis & Eois  
Vndiq; plena domus nitet, his raro licet ipsi  
Diuitijs sint fortunati, sæpius atq;  
Ægrotent, toto tum semper corpore pallent,  
Omnibus ex æquo dominatur Luna superba,

FINIS.

# LUCIANI SCAPHI-

DIVM NUMERIS AD STRICTVM.

Primo, Heroico carmine, deinde Iambico Trimestro. Interloquutores Charon, Mercurius, Mænipus, Carmolauus, Lampicus, Damasius, Craton, Nico; Philosophus.

## AD LECTOREM TRASTICHON.

**C**Armine in hoc desunt grauibus (me iudice) rebus

O Lector grauia & uerba uenusta, decus.

Ista boni ut tuleris, rogo, namq; mihi modo proripus  
Nulla aderant Musæ, nullus Apollo quoq;

## CHARON.

**V**os audite quidem quò nostra negotia pacto,  
Sese nunc habeant, quod paucis ipse docebo.  
Est autem nobis uetus & nauicula parua,  
Vndiq; sicut cernitis hæc rimisq; fatiscit.  
Insuper ex impulsu fluctum naufraga tota.  
Vos uero nonnulli & secum plurima quisq;  
Deportantes huc simul omnes adproperatis:  
Si ergo rebus ijs cymbam ascenditis (ut ipse  
Autumo) non dubium, uos omnes deinde pigebit.  
Præsertim si nare dehinc, quis nesciat atq;  
Quapropter quo consilio nos traiceremus

Tutius

Tutius, hæc mea nunc certa est sententia, primùm  
Nudos & uacuos, omnes, rerum omnium oportet  
Ingredi, & in ripa mox uestra superflua quæq;  
Linquere, nauis enim non singula ferre ualeret.  
Quare Mercuri, et hoc modò sit curæ tibi summe,  
Non aliquem præter nudatos, tum uacuosq;  
Admittens, ipsam nauis non desere pronam  
Pepla & cætera præcipuis (ut diximus) antè  
Confestim deponere, uerùm primitus omnes  
Agnosce, & qui sint, nudati tum ingredientur.

MER. Ferpulchrè dixisti, sic faxo, quis prior ille?

MEN. Mænipus uocor, at tu Mercuri id aspice tandem

Nam peram, baculumq; tenet, lacus ille profundus.

Et minime ad uestram nauem mecum adfero quicquã.

MER. Ascende ô Mænippe inter fortissime cunctos.

Tu primùmq; locum nature solus habeto,

Quò uideas omnes à longè, sed quis hic alter?

CAR. Carmolauus Megarensis foedo semper amore

Affectus, cuiusq; talentorumq; duorum

In pretio tantum fuit osculum, id unicum eratq;

MER. Quin huc deseris ipse decorè, orisq; ruborè,

Oscula, per pexamq; comam, uultusq; nitorem.

O factum bene, nunc ad nos ascendito tandem.

Sed quis tertius est ueniens modo purpura et Ostro

Indutus, pariter caput est diademate cinctus?

LAMP. Quid quæris de nomine, sum rex Lampicus ipse

MER. Quid? ueniens huc apportas tot tantaq; tecum?

LAMP. Annè decet quæso nudatū incedere Regem?

MER.

MER. Hoc regē minime, hūc potius q̄ uiuere tandē  
Iam cessauerit, ergo te mox exue cunctis.

LAMP. En gazam abijcio. MER. Hunc et fastum,  
animūq; seuerum

Abijce, tālia namq; sua grauitate phasellum  
Nunc nostrū nunc obruerent planē opprimerentq;

LAMP. Sic faxo, sed tu Diadema meū mihi saltem  
Aut uestem regalem me patiaris habere.

MER. Nequaquā, sed continuū hęc sunt abijcienda.

LAMP. Fiat. nunquid uis aliud, nunc omnibus ecce  
Exutus sum. MER. Tum feritas, iniuria, & omnis

Confidentia, & iracundia, cętera quęq;  
Si quę talia, sunt tibi confestim remouenda.

LAMP. Nudus iam nudus sum. MER. Nūc ascēd  
de, quis autem

Tu tam pinguis, tanta carneq; sultus ubiq;?

PAM. Sum pugil ipse Damasius. MER. Vt uideorū  
quē uidere

Semper in ipsis & uersatus es (ipse) palęstris.

DAM. Sū, sed me nudū precor huc admitte uenire

MER. Tu nē uenis nudus, qui tanta carne refertus?

Est. ea deponenda tibi, unico enim pede nostram

Hanc Cymbam tu deprimeres, Hęc deinde coronę,

Tum pręconia sunt etiam mox abijcienda.

DAM. Iam nudus sū, et uerē alijs par lumine castis.

MER. Sic magis esse decet, nūc ingredi, has quoq;  
raptim

O Craton abijce opes, tum luxuriam, et male sanę

Mentis molliciem, simul. hęc monumenta relinque.  
Nec non splendorem maiorum pone tuorum.

Pręterea & genus, atq; tuę plausum bonitatis

Et famā popularē, epigrammata, tum simulachra

Hęc etenim ō Craton essent atq; grauissima longę.

Cra. Haud tulero mecū quicq; sed cuncta relinqua.

Quamuis inuitus faciam, planeq; coactus,

Prōh Dij immortales quid passi nunc sumus ipsi?

MER. Vosq; Dij boni, et his pariter tu splendide in  
armis

Quid tibi uis? aut qd sibi uult hoc (quęso) trophæū?

NICO. Ardua namq; domi, pręclaręq; facta pegi

Militię, ob tanta urbibus equę fui dominatus.

MER. Arma trophęaq; prorsus humi maneant,  
quia cuncta

Infernatum, sunt in summa pace quieta

Nunc nihil his opus armis, quis fiet ille referte,

Qui sub honestatis spectie, atq; superciliosus,

Quiq; ornatus cura & pexa deniq; barba

Et promissa, tam tacitus uenit, & pede lento.

MEN. Hercle philosophus est, si mō magus, isq; refer

Portentis, quocirca ō Mercuri eum spoliari (tus

Tu iubeas, ō quam ridicula multa uidebis.

MER. Hūc habitū in primis depone et cętera iuxta

Prōh Dij quantus fastus, et hęc iactantia quanta?

Quanta ignauia, quę lites, insana quanta?

Anxia uerba, labores uani, quę quoq; nuge?

Ambages, genera omnia fr audum, quę tulit ipse



Hic secum? **Q**uamprimum te istis exonerato  
Exue mentiri atq; indoctos fallere technis  
Et reliquis te præferre, haud ea ferre ualeret  
Magna ratio. **P**HI. Sicut uis me nunc exuo cunctis.  
**M**EN. Huic fac barbã abradis, nãq; grauisimares  
**M**ER. Et tu cõfestim depone philosophe barbã (est  
**P**HI. **Q**uis uestrum est tonfor? **M**E. **M**ænippus  
nunc aget illum.

Sume securim, & ei **M**ænippe abradito barbã.  
**M**EN. Serram des, potius res ut ridicula fiat.  
**M**ER. Ipsa securis sit satis, õh iam deposuisti  
Barbã. **M**EN. Vis nã supcilia abradãtur ut illit  
**M**ER. Sic uolo, quid tu uero philosophe nunc la-  
chrimare

Incipis? an mortẽ formidas? quin animosus  
sis, ascendeq; mente uirili, ne timeasq;  
**M**EN. Est aliud magis atq; molestũ quo cruciaris,  
Et quod clãm male te mordet. **M**ER. Quid cedo  
sit illud?

**M**EN. Blanditiã tũ palpaq; quã sibi ualde fuerũt  
Vtilia in uita. **P**HI. Sed cur **M**ænippe tuã non  
Abijds hanc & libertatem, læticiãq;  
Risus, & robur? num tu reliquos ita solus  
Deridebis? **M**E. Tu **M**ænippe ea semper habet  
Tecum, nam leuia & quoq; uilia sunt, etiãq;  
Inter trãsciendum commoda, tuq; deinceps  
O Orator tantã mitte superfluitatẽ  
Verborumq; leporem, Erotemata, prætereaq;

Sermonis

Sermonis dilemmata, & horum plura relinque,  
Nam multũ grauitatis habent. **O**R. Tibi mori gerabor.  
**M**ER. **C**ymba satis nũc est onerata, à littore tandẽ  
Funem soluite, & harpagines extendite prora,  
Scalas tollite, malum scãndite, uelaq; uentis  
Tradite, præterea tu nauita dirige clauum.  
Quid uero uos umbra amentes nunc lachrimatis?  
Tuq; Philosophe præcipue, an quia deposuisti  
Barbã? **P**HI. Non. **M**ER. **Q**ua re uero? **P**HI. **Q**uia  
me fore semper  
Immortalem rebar. **M**EN. Mentitur, nam alia re  
Tristatur. **M**ER. **Q**ua rei? **M**EN. **Q**uoniam posthac  
uti quondam

Consuetus fuit, haud ornate, dapfilitatq;  
Pergræcabitur, haud noctu scortabitur ipse,  
Deq; die non hãc adolescentes precibusq;  
Alliciet, nec eos nummis emungere quibit,  
Sobrius ut quibus afficitur magna anxietate.  
**P**HI. Cur **M**ænippe tibi non formidabile lætum?  
**M**EN. **Q**uo pacto? quũ ad mortẽ nemine penẽ uocante  
Festinarim, ast interea dum uelificamus  
Nonnulla à terra uox auditur, uelut ullis  
Acclamantibus. **M**ER. Est ita, nã ad subsellia p̄gunt  
Quidam, **L**ampici & ob mortem nunc exhilarati,  
Iamq; domum mulierum turba ducitur eius,  
Vxor, filij & illius lapide eijciuntur  
Multo, ex urbe, alij nunc uero ualde **C**loanthum  
Oratorem laudant, quidam uero **C**ratonem.

M

Quin

Quin etiam certant titulos superaddere bustis,  
Et mater Damasi muliebri nunc comitatu  
In funus prodit, sed te Mænippe profecto  
Nemo plorabit, uenisti namq; silenter.

MEN. Nequaquã, annẽ canes rixantes nõ simul audis?  
Coruos atq; crocissantes, nempẽ à quibus ipse  
Iam tumulor certamine non equidem sine magno.

MER. Strenuus es, sed iter dudum perfecimus, ergo  
Vos descendite, rectaq; in ius pergite tandem.

Porrò Charon, pro alijs nos nostrũ ad iter redituri.

Quid tanta cum maestitia ius sponte subire  
Differtis? quia ius rigidum est hæc ualde, feruntq;  
Crudelissima poenarum genera & uaria esse,  
Atq; hominum uitas expendi examine longo.

LVCIANI SCAPHIDIUM IAMBICO  
carmine scriptum. Colloquutores ut supra.

### CHARON.

**A**vdite quo quidem modo negotia  
Se nostra nunc habeant, adeste uos quoq;  
Est parua enim nobis (uti uidetis) hic  
Nauicula, ac uetus, fatiscens undiq;  
Rimis, & ex impulsione fluctuum  
Hæc naufragæ est, uos uerò nonnulli simul,  
Et quisq; secum deferentes plurima  
Hic conuenitis, si scapham ergò rebus his  
Ascenderetis omnibus, uos postmodum

Scio poeniteret, maximẽ si quis fiet

Qui nare non didicerit, exin quid meum

Consilium erit, quò nauigemus tutius

Nunc ipse paucis faxo uos doceamini:

Nudos, enim, rerum omniumq; quoslibet

Vacuos oportet ingredi, tum singula

Relinquere in ripa superflua, omnium

Vix nostra tandem esset capax nauicula,

Hoc ergo Mercuri tibi inter cetera

Curæ sit: ut nudos, & omnium simul

Rerum uacuos præter, nec ullum admiseris,

Stabisq; in introitu ipsius nauiculæ,

Et pepla præcipies deponere omnia,

Cunctosq; qui sient prius cognoueris.

Qualesq; sint, nudosq; coges ingredi.

MER. Pulchrè quidem, sic faxo: sed quis huc prior

Venit? MEN. Ego sum Menippus, at tu Mercuri

Vide, meum baculum & meam peram in lacum

Proieci, & ipse nihil tuli mecum palam.

MER. Ascende Menippe omnium fortissime

Primumq; naturæ locum tu posside,

Quò tu queas omnes & intuerier.

Quis alter hic? CARM. Carmolus est Megaricus

Qui amore semper perditus affectus fuit,

Cuius talentorum duorum erat unicum

Et osculum. MER. Hunc desere decorem & oscula,

Labella, perpexam comam, & oris deniq;

Ruborem, & hunc uultus nitorem: quàm bene

Scio

Factum, modo ingredi, at quis hic est tertius?  
Qui ueste purpurea uenit circumdatus,  
Præcinctus & diademate est circa caput?  
LAMP. Sum Lampicus. MER. Tot ipse tecum tantamque  
Huc fers? LAM. Decet ne (quæso) Mercuri hoc modo  
Nudumque Regem hominem aduenire? MER. Non quidem,  
Sed mortuum potius, proinde te exue.  
LAMP. En abijcio gazam. MER. Hanc et insolentiam  
Istamque scuitiam insuper, tu Lampice  
Depone, talia enim suo grauamine  
Nostrum Phasellum prorsus hic submergerent.  
LAMP. Sic faxo, sed saltem mihi concedito  
Diadema, tum uestemque habere regiam.  
MER. Nequaquam, at illa tu statim deponito.  
LAMP. Hoc fiet, est aliud ne quicquam quod uelis?  
Exutus (ut uidesque) sum nunc omnibus.  
MER. Crudelitas, & temeritas, iniuria,  
Ira, & reliqua si quæ sient eiusmodi,  
Depone. LAMP. Nudus ipse sum, nudus modo.  
MER. Ascende nunc: sed tu quis es pinguedine  
Tantumque carne fultus ipse. DAM. Damastias  
Athleta. MEN. Te uideor uidere exercitum  
Fuisse semper in palaestris. DA. Sic quidem.  
Tu uero me nudum intromittito precor.  
MER. Nudus ne tanta carne fartus aduenis?  
Est illa deponenda, nam unico pede  
Submergeres nostrum scaphidum, hæc insuper  
Tu mox (coronamenta, tum præconia)

Deponit

Depone. DAM. Nunc profecto nudus sum, uiden?  
Aliisque sum par mortuis. MER. Sic & magis  
Decet esse, nunc ingredi, tu Craton simul  
Opes tuas abijcito, nempe proteruiam,  
Hanc atque mollitiem, ista ne tecum feras  
Monumenta, maiorum tuorum desere  
Authoritatem, item & genus, tum gloriam,  
Tuamque liberalitatem, atque populi  
Panem, & tuas imagines, Epigrammata,  
Hæc, o Craton, sunt namque pergrauissima.  
CRA. Minimè feram, quinimo cuncta deseram.  
Inuitus autem: o Diu boni quid nos modo  
Passi sumus. MER. Et his tu emicans armis, tibi  
Quid uis? quid hoc etiam trophæum uult sibi?  
NICO. Quando quidem semper domi, belli quoque  
Ardua peregi facinora, ex quibus fui  
Dominatus urbibus. MER. Arma tum trophæa humi  
Relinque, quia singula apud inferos sita  
In pace sunt summa, nihil nunc his opus  
Armis: quis est qui tam seuerus aduenit?  
Gerens honestatis habitum, cura simul  
Onustus, ac barbam comatus nunc uenit  
Lento pede? MEN. Est o Mercuri Philosophus,  
Imò magus refertus atque prodigijs:  
Ergo iube spoliari eum, o ridicula  
Quam multa, quam iocosa cernes postea?  
MER. Primò omnium hæc habitum tuum deponito,  
Et cætera, o Iupiter & hic iactantiam

M 3

Quantam

Quantam (Dij) arrogantiam, quantam quoq;  
Ignauiam, ac insaniam, atq; iurgia,  
Et uanitates, scrupulosa uerbaq;  
Vanos labores, atq; nugas, omnium  
Deceptionumq; genera hic secum tulit?  
Quamprimum ijs te exue, simul mendatia,  
Ba namq; quinq; remis (ut scio) non queat,  
Perferre. PHI. Me cunctis uide nunc exuam,  
ME: O Mercuri huic barbam iubeto abradier,  
Est res enim grauisima. MER. O Philosopho  
Depone barbam protinus. PHI. Quis tonsor est?  
MER. Menippus. Hem Menippe tibi securis hic,  
Qua barbam huic Philosopho iam abradito.  
MEN. Concede ferram potius, ut res sit magis  
Ridenda. MER. Sat fuerit securis, ob modo  
Barbam ne deposuisti? ME. An ipse uis ei  
Pariter & abradi supercilia? MER. Volo.  
Sed hoc quid est Philosopho? quid ipse lachrimas?  
Mortem ne formidas, bono animo nunc fies.  
Ascende. ME. Restat & aliud hoc magis arduum,  
Quod clanculum te mordet. MER. Hoc dic qd fiet  
ME. Palpationes atq; blanditiæ, sibi  
Que ualde profuere dum ipse uiueret.  
PHI. Qua gratia Menippe tu non abijcis  
Tuamq; libertatem, & gaudia simul,  
Risum atq; fortitudinem: num ceteros  
Tu risui solus habiturus es. MER. Ea tu  
Menippe tecum habeto, nam sunt uilia

Et leuia, tum inter nauigandum commoda,  
Et tu quoq; ô Orator illam deseras  
Facundiam, sermonis atq; copiam,  
Et quæstiones, atq; Rhetorum simul  
Ratiocinationem, & id genus alia  
Plura, quia sunt grauitatis incredibilia.  
OR. Moreni tibi geram. MER. Ratis nunc undiq;  
Satis est referta, iamq; funem à littore  
Soluite, etiam à prora anchoram uos retrahite,  
Scalascq; tollite, atq; malum scandite.  
Nunc agite uentis uela tradite, tu quoq;  
Nauta rege clauum, ut fletis amentes modo  
Umbrae? atq; maxime quidem præ cæteris  
O tu Philosopho, nonne quod deposueris  
Barbâ? PHI. Nihil equidẽ. MER. Quid ergo dicitis  
PHI. Quia prorsus immortalis esse putaueram.  
ME. Mentitur alia re quidem tristatur hic.  
MER. Qua? ME. Quoniã is eleganter, et superflue  
De cætero (sicut solebat antea)  
Non crapulabitur, minusq; postea  
Scortabitur clanculum, adolentes neq;  
Interdum decipiet incitabilis  
Oratiunculisq;, tum pecunia  
Emungere haud eos ualebit amplius,  
Quo sobrius summo dolore tangitur.  
PHI. Cur uero tu Menippe mortem non times?  
MER. Qui fiat hoc? ut qui uocante nemine  
Ad mortem ego properauerim: sed interim

Audire uoces me procul quasdam puto.  
 MER. Non falleris Mænippe, nam ad subsellia  
 Modò ueniunt qui morte gaudent Lampici.  
 Et eius uxor iam domum reducitur  
 Magna frequentia mulierum, & filij  
 Lapidibus expelluntur urbe, ceteri  
 Laudant Crophantem, Rhetorem, quidam quoq;  
 Cratonem, epitaphia præparant Damasia,  
 Materq; filio: mulierum turba iam  
 Procedit in funus, sed inter singulos  
 Tu solus ò Mænippe cum silentio  
 Venis, nec est qui desleat te. ME. Non quidem,  
 Audis nè rixantes canes, coruos quoq;  
 Mutuò crocissantes? & à quibus ipse nunc  
 Certatim humor. MER. Strenuus es, at nūc nostrū  
 Perfecimus, descendite, in ius illico (iter  
 Abitedum, uerò pro reliquis sumus  
 Charon ad iter nostrum reuersuri: quid hoc?  
 Cur adeo tristes ius subire uereimini?  
 Ius est, feruntq; multa crudelissima, hanc  
 Genera esse poenarum, quibus necesse sit  
 Examinari quemlibet mortalium.

#### DE CVSTODIA LINGVÆ.

**F**œlix qui nouit linguam propriam moderari,  
 Quæ celeri fertur per scelus omne, gradu.  
 Ipsius culpa cedes & seditiones,  
 Nascuntur multe, & bella cruenta uigent.

Hec

Hec mala cuncta prius quasi consilij peraguntur,  
 Quàm facti turpis turpe sequatur opus.  
 Lingua leuis, petulans, temeraria, garrula, mendax  
 Ira odijq; tenax, perdit amicitias.  
 Exprobrat, & desert, simul et sale mordet amaro,  
 Si sapit hanc cohibet, qui probus esse studet.  
 Nam quicumq; suam linguam ratione cohercet,  
 Hunc ditat fame nobilitate bonæ.

#### IN APOPHTEGMA SOLOINIS. Senesco quotidie aliquid addiscens.

**Q**uis fuit artibus ingenuis sic præditus unq;  
 In quò non aliquid carpere iure queat.  
 Et studiosorum uel sis doctissimus, ipse  
 Quæ tamen haud noris, plurima semper erunt.  
 Non, si te Musas inter nutriisset Apollo  
 Doctus, calleres omnia crede mihi.

#### APOLOGVS DE MVSCA ET FORMICA.

**M**usca olim cum formica certamen habebat  
 Ingens, illud de nobilitate fuit.  
 Prætulit huic nimium se ostentans improba Musca  
 Formicam spernens, sic prior orsa loqui.  
 Tu, tua quanta sit hæc (formica) abiectio cernis  
 Quæ caua terrarum ac antra profunda colis?  
 Perpetuò quoq; serpis humi, magnoq; labore  
 Victum pertenuem, queris ubiq; tibi.

M 5

Al

At me alæ in sublime ferunt, & regia mensa  
 Me laetis epulis, accipit atq; fouet.  
 Ex auro fuluo bibo, sunt eadem mihi uina,  
 Tum uestimentis incubo purpureis,  
 Quin etiam molles per sepe, genasq; decoras,  
 Osculor, & dulci membra quiete leuo.  
 Improba, talia multa refert, & inertia laudat  
 Ocia, quæ semper maxima causa mali.  
 Tunc pinguis Musca iactanti talia multa  
 Respondit doctè, nec sine iudicio:  
 Hoc quoq; dicere te decuisset, quomodo cunctis  
 Improbitate tua, sis odiosa nimis.  
 In te namq; flabella tot atq; uenena parantur,  
 Et totum est uitæ tempus inane tuæ.  
 Anni parte uiges modica, cum Solis ab æstu  
 Omnia feruescunt, hæc tua uita manet,  
 Inde sub Autumnii uel frigora prima peribis,  
 Cum tremulo passu, seu a recurret hycms;  
 Ast ego desidiã fugiens, æstate labori  
 Continuo incumbens, sic mihi quæro cibum.  
 Sic hyemem summa traduco pace quietam,  
 Expectans redeat dum mihi uer nitidum.

MORALE.

Qui quæ uult dicit, quæ nõ uult protinus audit,  
 Echo namq; eadem dicta referre solet.  
 Nemoq; se penitus foelicem uiuere uitam  
 Dicit, ni simul hæc ipsa timore uacet.

A P O L O G V S D E  
 Musca & Formica, Iambico  
 dimetro Archiloch:

**M**uscam inter atq; Myrmicem  
 Certamen ingens contigit,  
 Solum quod ob præstantiam  
 Ipsam fuisse dicitur.  
 Nam præferens se Myrmici  
 Maligna musca, & improba  
 Hanc spernit, & se prædicat,  
 Tandemq; sic loqui incipit.  
 Iam prorsus ô Myrmix uides,  
 Sit quanta uilitas tua,  
 Quæ semper in cauernulis  
 Terræ manes quas incolis.  
 Humiq; serpis perpetim,  
 Nec sursum in altum tolleris,  
 Multo labore exercita,  
 Tenuem cibum quæris tibi:  
 Me uerò sublimem ferunt,  
 Alæ per aëra & cibus  
 Me delicatis Regiæ  
 Mensæ fouent lautissimè.  
 Argenteis & Aureis  
 Epoculis semper bibo  
 Vinum suaue & nobile,  
 Quod dulcius uel nectare est.

Tandem quiescens incubo

Conchyliatis uestibus,

Tum sæpe formosissimas.

Genasq; molles, osculor.

Myrmix uicissim talia

Respondit inflata nimis,

Fasidiosa deniq; &

Felicitate turgida.

Tu quæ euehis te laudibus,

Cur istud ipsa præteris

Silentio quod maxime

Oportuit te dicere?

Malitia enim facit tua.

Inuisa cunctis ut sies,

Tibi parantur Toxicæ,

Et te manent muscaria.

Tandem tuam breuissimo

Durare uitam tempore

(Cum Solis æstu singula

Percussa feruent) conspicis.

Sub prima uero frigora

Terras quando uiserit,

Sæuis hyems æquolombus,

Repente tu tunc occides.

Sic in diem uitis quasi,

Iners, uoluptuaria,

Ego læta tum, securaq;

In pace uitam transigo.

Brumæ futura præscia

Æstate farra colligo,

Ne me fames foedissima

Incautius præoccupet.

MORALE.

Hac nos docemur fabula,

Illum frequentius male

Audire, quisquis qualibet

In alterum audet dicere.

ET.

Non esse paruo in commodo

Vitam beatam (fabula

Docemur hac) nisi omnibus

Incommodis sit libera.

DE PISCIBUS QUODAM CAPTO.

**I**am Phæbus radijs medium traiecerat orbem,

Atq; cadens fessus, tendit ad Hesperiam,

Fortè fuit mediocris aquæ remeabilis amnis

Qui tam continuis imbribus auctus erat.

Cum iuuenis quidam (quò tempus fallere posset)

Margine gramineo, fertq; refertq; gradum.

Dumq; errat circum, celeres miratur & undat.

Mox curæ subeunt, præmia certa sequi.

Retibus immixtis fortunæ spem melioris

Concipit, atq; lucrum non procul esse uidet.

Nam subito sub aqua nutantia retia cernit,

Spem titubans inter fluctuat, atq; metum.

Brumæ

Sistit

Sistit opus præsens, intermittitq; laborem,  
 Quem tandem repetit fortiter ille tamen.  
 Attrahit ex undis immani corpore piscem,  
 Qui nigris maculis undiq; sparsus erat.  
 Crudelis faciem, sub aquis populator & ingens,  
 Quem feritas fecit nomen habere lupi.  
 Pandebat rictus, enormi mole subinde  
 Se se uoluebat; sic erat ille ferox.  
 A longè stantes iuuenis conclamat amicos,  
 Illi festinant, adueniuntq; cito.  
 Attoniti nouitate pauent, mirantur & omnes,  
 Cernendoq; oculos uix saturare queunt.  
 Dicta sub exiguo claudantur ut omnia uersu,  
 Hic labor huic iuueni præmia digna tulit.

AD SOPHONIAM FRATREM, GREGORIIUM  
 VALHAUSNERUM & IACOBUM HUEBERUM  
 VITEBERGÆ DEGENTES.

**Q**UOD uos unanimes studeatis uiuere semper  
 Hæc uobis mittit carmina blanda parent.  
 Hæc quoq; (concordes quoties cantabitis) usq;  
 Rectora coniungent uestra in amore pio.  
 Christus sit clemens uestris conatibus; & uos  
 Clementer contra noxia cuncta tegat.

AD MECÆNATEM.

**S**CIS grauem me nunc tolerare morbum,  
 Quàm

Quàm parum nec non mihi profuit illud  
 Hactenus quo uariè in medendo  
 Sum miser usus.

Cum modis multis operam benignam  
 Tu tuam sis pollicitus; necesse  
 Eßset, ut nunc consilio carenti,  
 Hanc mihi præstes.

Inde grates pro meritis referre  
 Debitas quantum potero studebo,  
 Ne tuum munus fore collocatum in  
 Me male dicas.

Quid tibi tandem modo uel precari  
 Quibo, rectè quàm ualeas ut ipse,  
 Fiat & quod nos aliquando leti  
 Conueniamus.

IN ZOILVM.

**N**OS nihil hoc moueat licet improbet unus &  
 alter,  
 Cum non equè suo uelle nocere queant.

POEMATVM BALTHASERIS  
 PAMINGERI FINIS.